

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI...

Michele Casati





BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
42
3 C
4



P. Lisini ad simpliciter usum 1830

DE ADMINISTRATIONE
SACRAMENTI
POENITENTIAE
PRAECEPTIONES THEOLOGICO-PRACTICAE

IN FREQUENTI SACERDOTUM CONVENTU
TRADITAE

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D.

MICHAELE CASATI


CONGREGAT. CLERICOR. REGULARIUM

*DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPO
MONTIS - REGALIS ET COMITE.*

Accedit Exhortatio ad hujus ministerii opus assidue
naviterque obeundum.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIO PALEARINIANO
MDCCLXXXIII.



PRAESIDUM PERMISSU

MICHAEL CASATI

CONGREGAT. CLERICOR. REGULARIUM

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONTIS-REGALIS ET COMES

Venerabilibus Sacerdotibus Ecclesiæ Monregalensis.

SALUTEM.

Jampridem Nobis constitutum erat de Sacramenti Pœnitentiæ dispensatione ineunte hoc anno ad vos scribere, Venerabiles Christi Ministri, & charitatem vestram vehementer incendere, ut in hujus ministerii opus, ex quo tam uberes in Ecclesiam universam prodeunt fructus, sedulo naviterque incumbatis, nempe ut quotquot ad excipiendas fidelium confessiones assumpti estis, in hoc officii munere assidui sitis; qui vero pote-

potestatem hanc spiritualis jurisdictionis nondum accepistis, ad eam fideliter fructuoseque gerendam idoneos vos quantocius exhibeatis. Nonnulli tamen cordatissimi viri, quorum apud Nos plurimum valet authoritas, enixe instanterque a Nobis postularunt, ut certam quoque agendi normam simul exhiberemus, per quam spirituali confitentium bono efficacius prospiciant, eosque ad veram conversionem, vitæque emendationem perducant; atque operæ pretium facturos Nos esse putarunt, si nonnullas hac de re evulgaremus dissertationes nostras in crebris, qui apud Nos haberi solent, Sacerdotum conventibus recitatas. Nos itaque, tametsi alia prostent opuscula piorum, doctorumque virorum, qui Sancti Caroli, & Sancti Francisci Salesii vestigiis insistentes de recta Sacramenti Pœnitentiæ administratione optima tradiderunt monita ac præcepta, obtemperandum tamen esse duximus, quum nimis grave atque arduum Nobis sit eorum, qui optime de Nobis, ac de universa Ecclesia nostra meriti sunt, judicio ac voluntati obsistere. Habetis ergo doctrinam nostram de administratione Sacramenti Pœnitentiæ in octo capita digestam, cui adjunximus appendicem de visita-

ta-

tatione, & spirituali cura infirmorum; præconceptam animo exhortationem; tum etiam explicationem casuum, quorum in prima nostra Synodo Nobis reservata est absolutio, ut dirimantur quæstiones, quæ sæpe excitantur super eorum intellectu (1). *Optamus autem, ut libellum hunc veluti nostri erga vos studii argumentum lubenti animo excipiatis, & in vestris potissimum cœtibus ad expendenda practicæ Theologiæ præcepta institutis frequenter perlegatis. Valete.*

Monte-Regali ex Palatio nostro Episcopali die duodecima Octobris 1781.

✠ MICHAEL EPISCOPUS.

IN-

(1) Casus reservati, qui Monregalensi hujus operis editioni accesserunt, in hac Romana omittuntur: eos enim Episcopus quisque in sua Diœcesi sibi reservat absolvendos.

INDEX

Artic. I.

CAP.

CAP. VII.

De Satisfactione.

CAP. VIII.

De Absolutione.

APPENDIX

DE



DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIAE



MIram profecto, & naturæ nostræ humilitati infinito intervallo supereminentem potestatem exercemus, Venerabiles Sacerdotes, quum fidelibus post Baptismum lapsis Sacramentum Poenitentiæ administramus, quod merito dictum est altera post naufragium tabula; & postremum salutis perfugium. Dedit quidem Deus servo suo Moysi, ut pro salute populi ex Ægypto educendi tot ederet stupenda prodigia, quibus visus est elementa mundi, & omnes naturæ leges subvertere. Dedit Josue invictissimo Tribuum duci Solis, Lunæque cursum sistere, donec fugientes Amorrhæorum phalanges penitus deleret. Dedit Eliæ, ut ejus nutu dilapsus e coelo ignis vel paratum holocaustum absumeret, vel militum cohortes,

a quibus abducendus erat, illico devoraret. Dedit Elisæo, aliisque viris sanctitate eximiis, ut ægris salutem redderent, mortuis vitam, & plura alia id genus Divinæ potentiæ virtute patrarent miracula, quæ in veteris Testamenti paginis passim leguntur. Nusquam tamen legimus cuiquam ex ipsis datum fuisse, ut constrictas peccatorum vinculis animas solverent, & mortuas Deo ad vitam gratiæ, per quam Deo vivitur, revocarent. Hinc quidam Legis Doctores, qui in Jesu Christo Servatore nostro nonnisi humanam naturam agnoscebant, quum ipsum audissent paraliticum sibi oblatum ita alloquentem: *Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua*, immanis, atque horrendæ blasphemiæ reum existimarunt, quod divinam potestatem nulli unquam hominum concessam sibi arrogaret: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* (a) Jam vero divinam hanc potestatem discipulis suis contulit Dominus, quum, ineffabili humanæ reparationis mysterio absoluto, rediturus ad Patrem Spiritum Sanctum sui oris afflatu eorum cordibus infudit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt* (b).

Hæc autem potestas una cum dignitate atque officio Sacerdotii, quod in Ecclesia perpetuum est, in universos novi Foederis Sacerdotes perpetuo dimanat; unde unusquisque vestrum, quum Sacerdos consecratus est, illa ipsa Jesu Christi verba ab Episcopo sibi manus imponente audivit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* O grande officii munus! O præclarissimum, ac plane divinum mini-

(a) *Luc. V. 21.* (b) *Joan. XX. 23.*

nisterium! Olim in veteri lege Sacerdotes aliquem a lepra mundatum esse renunciabant; nunc vero in Ecclesia non ea tantùm potestas Sacerdotibus facta est, ut aliquem a peccatis esse absolutum declarent; *sed vere tanquam Dei ministri a peccatis absolvunt* (a); & quod ipsi recto judicio pronunciant in terris, ratum, ac firmum habetur in cælis. Pater omne judicium dedit Filio; sed ipse Dei Filius omne judicium Ecclesiæ suæ Sacerdotibus tradere dignatus est: *Sacerdotibus*, inquit Chrysostomus, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispensent; his datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit......quasi jam in cælum translati, & supra naturam humanam positi, atque nostris affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt* (b); unde & Reges, & summi Imperantes ad eorum pedes provoluti peccata sua humillime confitentur. Quanta vero vitæ integritate, & morum sanctimonia; quo caritatis fervore, qua doctrina, ac prudentia instructum esse oportet Christi Sacerdotem, cui partes demandatæ sunt divinam hanc potestatem exercendi? Sit igitur

 CA-

(a) *Catech. Rom. de Sacr. Pœn. §. XVI.*
(b) *S. Jo. Chrysost. de Sacerd. lib. III. cap. V. circa initium.*

CAPUT I.

De dotibus, quae requiruntur in Ministro hujus Sacramenti.

ARTIC. I.

De vitae integritate, & morum sanctimonia.

UT tantum ministerium digne impleatur, & uberrimi ex eo fructus prodeant, primum quidem vitæ integritas in Sacerdote ad ipsum assumpto requiritur cum christianæ perfectionis studio, & animarum salutis zelo conjuncta; tum vero etiam scientia, ac prudentia, quibus instructum esse oportet medicum, ac ducem animarum.

Et vitæ quidem integritas tam necessaria est quam quod maxime. Quid enim, ut hinc exordiamur, quid si Sacerdos cum conscientia lethalis culpæ hujus Sacramenti gratiam poenitentibus largiretur? Si tam sancti ministerii opus immundus obiret? Si Dei inimicus, divinæque majestatis læsæ reus quum sit, divinæ misericordiæ arbiter sedere, Dei nomine peccata dimittere, & peccatores ipsi reconciliare non formidaret? Profecto immane hoc sacrilegium haudquaquam irritum faceret Sacramentum, neque ejus virtutem minueret, aut prohiberet effectum, qui non ex sanctitate ministri, sed ex meritis Salvatoris nostri Jesu Christi unice pendet. Quam horrenda tamen damnatio immineret sacramentalis gratiæ ministro!

Ne-

Neque vero tantum mortiferi reatus immunitas in eo requiritur, sed studium quoque vitandi veniales noxas, quæ caritatis fervorem minuunt, vires animæ enervant, divinæ gratiæ emanationes impediunt, veluti nubes, quæ Solis æterni radios intercipiunt, ac denique nos in funestissimos lapsus impellunt. Ineptus animarum medicus est, qui hujusmodi spirituales languores, atque ægritudines in semetipso lubens perfert, nec curat convalescere. Fieri quidem poterit, ut corporum infirmitatibus curandis aptior sit medicus, qui iisdem obnoxius est, quam qui perfecta semper utitur valetudine: nam in se ipso persentiens mala, quibus æger conflictatur, majori erga ipsum commiserationis sensu tangitur, ac magis sollicitus est ipsi opitulari iis remediis, quorum vim, ac præstantiam in se ipso expertus est. Anne vero impensa, solertique cura spiritualibus aliorum morbis mederi poterit, qui similes, aut forte etiam graviores ægritudines in semetipso negligit, vel potius nutrit, ac fovet, utpote sibi utiles, ac jucundas? Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit (a)? Quis potest alios aut magis, aut melius diligere quam se ipsum? *Si te ipsum non nosti amare*, inquit Augustinus, *quomodo poteris proximum in veritate diligere* (b)? Hinc vero præcipue oritur tanta inutilitas confessionum, quas nulla sequitur emendatio: Hinc est quo tam multi post innumeras confessiones nihilo meliores effecti sibi ipsis perpetuo similes sunt, nempe ut antea elati, ambitiosi, quæruli, morosi, iracundi; ut antea bonorum suorum tenaces, & erga pauperes parum misericordes; ut antea in-

(a) *Eccl. XIV. 5.*
(b) *S. August. Homil. XXXVIII.*

intemperantes, otiosi, desides; delati ut antea in ludos, spectacula, pompas, in seculi oblectamenta, inimici crucis Christi, nempe a christana mortificatione alieni, atque in omni divino opere segnes, ac negligentes.

Quoniam igitur maxime decet Sacerdotem, qui animarum medicus constitutus est, ea vitæ integritate pollere, ut nulli vel veniali peccato pravo affectu adhæreat, quum idem ipse ductor sit animarum, quæ ad christianam perfectionem dirigendæ sunt, ejus studio flagret necesse est, easque noverit, atque inierit vias, quæ ad ipsam perducunt. Sic Raphael Angelus, qui se comitem, ac ducem exhibuit Tobiæ filio ad Gabelum ituro in Rages Civitate Medorum habitantem, ut se idoneum ducem ipsi probaret, omnes ejus regionis vias optime se nosse, ac frequenter perambulasse testatus est: *Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi* (a).

Porro assiduæ ad Deum preces, sacrarum scripturarum, & aliorum librorum, qui inter spirituales, atque asceticos optimi habentur, quotidiana lectio, christianæ mortificationis jugis exercitatio, & omnia erga proximum charitatis, & misericordiæ opera viæ sunt, per quas itur ad perfectionem. Omnibus autem nervis nullo non tempore adnitendum est, ut progrediamur; si enim a nisu, & contentione virium tantisper cessemus, continuo a nostris cupiditatibus retrorsum trahimur, quemadmodum qui adverso flumine navigant, cum primum contra ejus vim remis contendere desinunt, a profluente fluminis abripiuntur. Ita igitur in christianæ perfectionis tramite

(a) *Tob. V.* 8.

mite alacriter procedens Sacerdos, animas ſibi creditas tuto feliciterque deducit, docetque ut alter Raphael Tobiæ cuſtos, & ductor, dæmonis aggreſſionibus obſiſtere, inſidias vitare, ſubdolas artes eludere, quas in animarum perniciem ſolet adhibere.

Sed ſuæ quoque ſecuritati optime conſulet jugi ſtudio proficiendi in chriſtiana perfectione; valida enim præſidia ſibi circumponet adverſus pericula, quibus objicitur ſui miniſterii cauſa, periclitatur ſalus medici, qui hominem contagioſo morbo laborantem curandum ſuſcipit; nam ejus lecto aſſidere, peſtilentem ejus halitum, & corruptam totius corporis athmoſpheram excipere, ejus ulcera contrectare perinde eſt ac morbum contrahere, niſi aliquo validiſſimo antidoto ejus communicatio prohibeatur. Nonne ergo in maximum diſcrimen adducitur ſalus Sacerdotis, qui ſæpe fœdas narrationes audire cogitur, ac mentem adjicere ad nefaria flagitia excutienda? Quid ſi etiam impudicæ mulieres, ut nonnumquam contingit, pravos in ejus animo affectus ſtudioſe excitarent, eumque ad turpia ſollicitarent? Quanta ergo animi conſtantia, quanta virtute munitus ſit oportet, ne miſere pereat, dum nititur a perditionis via alios revocare?

ARTIC. II.

De Charitate, & Zelo.

VItæ integritati, & chriſtianæ perfectionis ſtudio adjungendus eſt fervidus zelus, per quem Sacerdos non ſibi tantum, ſed aliis quoque bonus, atque utilis efficitur proximorum ſaluti

luti ſtrenue adlaborando. Zelus iſte eſt quædam actuoſiſſima flamma, & quietis impatiens ab eo caritatis igne erumpens, de quo locutus eſt Dominus, quum dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur* (a)? Hac caritatis flamma incenſus Sacerdos laborioſum, de quo agimus, miniſterium non refugit; pauperes, rudes, & ignaros poenitentes non reſpuit; prolixas, & implexas eorum narrationes patienter audit; moleſtiſſimas muliercularum ineptias, & ſcrupuloſorum ambages ſuſtinet; *charitas* ſcilicet *patiens eſt*, *omnia ſuffert*, *omnia ſuſtinet*. Peccatores omnes vel ſceleſtiſſimos eo commiſerationis affectu ſuſcipit, quo amantiſſimus Pater evangelicus prodigum filium ſuum ſqualIentem, lacerum, ſeminudum ad ſe redeuntem amplexatus eſt. Peramanter ad ſe allicit, ac trahit pueros, quos Salvator noſter a ſe arceri, aut divelli non patiebatur. Non deſerit mutos, & ſurdos, hebetes, aut ſemifatuos, quos ſollertiori cura oportet ad cognitionem Dei, divinorumque myſteriorum adducere, atque in viam ſalutis dirigere. *Charitas benigna eſt*. Nullius peccatoris converſionem, ac ſalutem deſperatam habet, ideoque quos ſemel ſuſcepit, nunquam deſerit, & fuſis ſaltem ad Deum precibus, lacrymis, ac gemitibus juvare nititur. *Charitas omnia ſperat*. Non laudem affectat indefeſſi in vinea Domini operarii, non ſibi blanditur, ſi videat illuſtres viros, ac nobiles matronas ad ſe accedentes, nec invidet aliis, quorum cathedræ ſplendida eorum corona ambiuntur. *Charitas non inflatur*, *non eſt ambitioſa*. Non ita ſibi devinctas detinet pias mulieres, aut virgines Deo ia-

(a) *Lucæ XII. 49.*

ſacras, quarum ſpirituale regimen ſuſcepit, ut non ſinat, vel ægre ferat alium confeſſarium, & ſpiritualis vitæ magiſtrum aliquando eas adire, quo quidem in maximas anguſtias conjicerentur, atque in periculum ſacrilegæ confeſſionis. *Charitas non æmulatur, non agit perperam*. Labore non frangitur, non tædio vincitur, nec animum deſpondet, ſi aliquando videatur ſibi operam perdere: *Charitas nunquam excidit*. Non aucupatur divitum munera, vel potentum favorem, & gratiam, nec aliud quærit, quam lucra animarum: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt* (a).

Quantuſcumque tamen ſit charitatis fervor, ac zelus pro ſalute animarum promovenda, cavendum ſemper eſt, ne in terrenam, & carnalem affectionem degeneret, quod quidem in ſpirituali ſequioris ſexus directione, ac regimine non raro pro humana fragilitate contingit. Ex iis fœminis, quæ, miſſis, aut neglectis ſeculi pompis, atque oblectamentis, ſpiritualis vitæ rationem profitentur, nonnullæ inveniuntur *habentes quidem ſpeciem pietatis*, ut loquitur Apoſtolus, *virtutem autem ejus abnegantes ..... ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes* (b), quæ tam arcto foedere duci, ac rectori ſuo adhærent, ut ab eo divelli haudquaquam patiantur. Habent quotidie quod cum ipſo conferant; in ærumnis, in anguſtiis, in tribulationibus ac tentationibus non videntur ſpem ſuam ponere in Deo, qui moerentium conſolator eſt, refugium pauperum, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, neque enim ad Deum in oratione, atque effuſione cordis confugiunt, ſed ad ſpi-

(a) *I. Cor. XIII. 4. & ſeq.* (b) *II. Tim. III. 5. 7.*

ſpiritualem moderatorem ſuum, ab eoque conſilium, opem, conſolationem implorant. Illum unice in oculis ferunt; illum ſummis laudibus extollunt, ceteros vero Dei miniſtros deſpiciunt, & contemnunt. Malunt carere ſacramentis Poenitetiæ, & Euchariſtiæ, quam apud alium Sacerdotem exomologeſim facere. Tanta erga ſpiritualem moderatorem ſuum propenſio, tam inordinata affectio non abſimilem in ipſo affectionem facile excitabit, quumque mutuæ iſtæ affectiones ſe ſe invicem nutriant, ac foveant, an non magnopere timendum erit, ne ſpiritualis neceſſitudo in carnalem convertatur, & qui ſpiritu coeperunt, carne conſummentur?

Caute igitur incedamus, Venerabiles Chriſti Miniſtri, & dum vivimus in hoc mortali corpore, & divinæ gratiæ theſaurum portamus in vaſis fictilibus, timeamus famliaria cum mulieribus colloquia, earumque blanditias, quæ laquei diaboli ſunt, cane pejus & angue fugiamus. Heu quam multi memorantur lacrymabiles lapſus ſummorum virorum, qui hiſce laqueis capti miſerrime perierunt! Nonniſi breves, ſerios, & graves cum mulieribus ſermones habeamus, nec niſi quantum officii ratio, & purus, ac genuinus animarum zelus poſtulat, cum ipſis agamus. Audiamus hac de re præclarum Auguſtini monitum: *Sermo brevis & rigidus cum mulieribus eſt habendus, nec tamen quia ſanctiores ſunt, ideo minus timendæ; quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub pretextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis. Crede mihi; Epiſcopus ſum, in Chriſto loquor, non mentior; cedros Libani, ideſt magnos Prælatos Eccleſiæ ſub hac ſpecie corruiſſe*

ruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi, & Ambrosii (a).

ARTIC. III.

De Scientia.

SEd animarum ductor, & moderator scientia quoque polleat necesse est, ne aliorum saluti consulere volens se ipsum, atque alios perimat, ut tremenda illa minantur Christi Domini verba: *Væ vobis duces cæci* (b). *Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (c). Quæ autem, & quanta in eo requiratur scientia, Sapientissimus, & immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV. docet his verbis: *Optanda in quolibet confessario esset scientia eminens, sed mediocris, & sufficiens omnino necessaria est, nec ultra sperare licet, quum morum Theologia tot tantasque complectatur quæstiones, quæ a Canonum, & apostolicarum Constitutionum notitia pendet, adeo ut fieri vix possit, ut homo præsentia omnia habeat, valeatque, ut dicitur, stans pede in uno ad quodlibet respondere, quemadmodum præstare solent eminenti scientia præditi, qui opus minime habent ad librorum lectionem confugere, quod facere consuescunt ii, qui sufficienti duntaxat scientia pollent, ut animadvertit Prædecessor noster Innoc. IV. ad caput: Cum in cunctis* (d). Neque vero in dubiis quæstionibus dirimendis quolibet libro, quem sors in manus tulerit, utendum est, nec cujusque scriptoris opinioni abhærendum:

(a) *S. Aug. apud S. Th. de modo confit. & purit. conf. artic. XXII. circa finem.*
(b) *Matth. XXIII. 16.* (c) *Matth. XV. 14.*
(d) *Bened. XIV. Litt. Apost. die 26. Jun. 1749.*

dum; *Sed antequam Confessarius deliberet* (pergit idem Pontifex), *evolvat non unum, sed plures libros; inter istos consulat præstantiores, postea illam amplectatur sententiam, cui magis suffragari rationem, & authoritatem favere cognoverit*.

Nos itaque mediocrem saltem, & sufficientem scientiam postulamus in Sacerdotibus, quos legitimum theologicarum institutionum cursum laudabiliter emensos, & examinis experimento probatos facultate donamus excipiendi fidelium confessiones, quam quidem aliquando nondum perfecta absolutaque doctrina imbutis concedimus spe adducti profectus, quem assidua optimorum librorum lectione, ac jugi meditatione, tum etiam crebris cum aliis doctis viris exercitationibus, & consultationibus in dies singulos sunt habituri. Et hoc quidem est, quod a vobis enixe poscimus, ac postulamus, Venerabiles Sacerdotes; nam si Judices hujus seculi, ut in caussis forensibus rectum judicium ferant, probatissimos legum interpretes quotidie consulunt; si Medici ut morbis corporum apta remedia abhibeant, perpetuo revolvunt tractatus doctorum virorum, qui de rebus sive ad theoreticam, sive ad practicam medicinam spectantibus scripserunt; an non eorum diligentiam, ac solertiam non imitandam modo, verum etiam superandam sibi proponent Sacerdotes, qui spirituales judices, ac medici sunt constituti, ut caussas cognoscant, ac dirimant, in quibus non de prædiis, aut aliis terrenis rebus agitur, sed de coelesti regno, de æterna hæreditate capessenda; ut curationem suscipiant, non corporum brevi moriturorum, sed immortalium animarum, eisque æternam

sa-

salutem, ac beatissimam in coelis vitam concilient? Attendant ergo lectioni, ut monet Apostolus (a), assidue perlegant divinas literas, sanctorum Patrum scripta, Pontificum, & Conciliorum decreta, & illustriorum Theologorum de doctrina morum commentaria; praecipue vero S. Thomae Aquin., S. Bonaventurae, S. Raymundi, S. Antonini, S. Bernardini Sen., Henrici Card. Hostiensis, Silvestri Prier., tum etiam recentiorum scriptorum, qui horum vestigia secuti purioris doctrinae laude floruerunt, nec iis unquam adhaereant, per quos, ut loquitur Alex. VII. (b), *in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianae vitae corruptela*, & via salutis, quam suprema veritas Deus arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatatur, seu verius pervertitur.

Ex puris itaque fontibus hauriant doctrinam de divinae legis mandatis, de sacrorum Canonum sanctionibus, de Sacramentorum institutione, virtute, rectaque administratione, de christiani hominis officiis non tantum communibus, verum etiam particularibus pro cujusque status conditione ac munere, de vitiis, & peccatis, eorumque caussis, consectariis, & remediis, semperque memoria teneant generales regulas discernendi peccatum lethale a veniali; definiendi distinctionem, & numerum peccatorum; peristases, seu circumstantias, per quas peccati species mutatur, vel notabiliter ag-

(a) *I. Tim. IV.* 13.
(b) *Decr. promulg. die 24. Sept. 1665. in 28. prop.*

aggravatur; casus Pontifici, vel Episcopo reservatos, censurasque ipsis adnexas; sponsalium vim, & matrimonii impedimenta. Noverint etiam justitiæ leges in contractibus servandas, & sciant unde oriatur restitutionis obligatio, tum etiam quænam sint peccandi occasiones magis obviæ in qualibet vitæ conditione, aut professione; quænam sint dispositiones omnino necessariæ, ut poenitens rite paratus censeri possit ad absolutionem recipiendam; quibus monitis a prava consuetudine retrahendi sint peccatores. Semperque præ oculis habeant Canones poenitetiales a S. Carolo diligenter collectos, ut sciant imponere poenitentiam cum peccati gravitate quadam proportione congruentem. Conveniant etiam statis quibusque diebus in eos coetus, ubi, collatis consiliis, legum, rerumque sacrarum natura, vis, & ratio, ceteraque omnia, quibus officia continentur, diligenter expenduntur, & ad ea, quæ reipsa contingunt, vel contingere possunt, accomodantur. O quam uberem fructum ex his conventibus capiet universa Dioecesis, si, uti per synodales Constitutiones, & pastorales Literas nostras præscriptum est, singulis hebdomadis rite celebrentur, & propositæ quæstiones accurate expendantur, ac dirimantur! Sic enim doctrinæ semina, quæ lectione, & meditatione insita animis sunt, consultatione, & disceptatione evolvuntur, & quasi in ipsis radices agunt, & altius infiguntur. Sic etiam qui minus eruditi sunt, sine labore, atque animi contentione plurima perdiscunt, quorum alii scientiam diuturna lectione, & meditatione sibi compararunt, quemadmodum in societate negotiationis ex sociorum ære, atque industria unusquisque ditescit, & in societate convivii iis dapi-
bus,

bus, quæ a singulis adferuntur, unusquisque alitur, & saturatur.

Erunt fortasse, qui diuturnam praxim, seu exercitationem instar omnium esse putent in regimine animarum, atque ad hujus ministerii opus satis idonei sibi videantur, propterea quod diu multumque in eo versati fuerint, ideoque lectionem, lucubrationes, consultationes prætermittunt, omnemque instituionem, & disciplinam missam, & neglectam faciunt veluti supervacaneam. Quis vero sibi in animum induxerit medendis corporibus diuturnam exercitationem, & praxim sufficere a doctrina, & scientia sejunctam, vel in alia quavis arte nihil requiri præter cæcam, & arbitrariam praxim, quæ plerumque nihil est aliud, quam inveterata errandi consuetudo? An non ergo opus erit scientia, & doctrina in arte regendi animas, earumque morbis medendi, quæ a Magno Gregorio ars artium merito appellatur?

ARTIC. IV.

De Prudentia.

PRæter sufficientem scientiam eximia quoque prudentia opus est in tantæ rei administratione; prudentia, inquam, non quidem carnis, quæ mortem affert, dicente Apostolo: *Prudentia carnis mors est* (a), sed plane prudentia spiritus. Prudentia carnis Sacerdoti suadet, ut suis potius utilitatibus, quam animarum saluti prospiciat; ut blandis opinionibus, quæ cupiditatibus favent, amatores mundi, præsertim vero nobiles, divitesque viros, ac matronas ad se trahat; ut

(a) *Rom. VIII. 6.*

ut gratiam ineat apud eos, qui *nolunt audire legem Dei; qui dicunt videntibus: nolite videre, & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores* (a); ut depravatas Mundi consuetudines, recentesque morum corruptelas facile transiliat; ne earum sectatores a se avertat, nec investigare curet, quam animi præparationem adferant ad Sacramentum Poenitentiæ suscipiendum; ut dubia omnia prompte, impavide, & absque ulla consideratione, aut consultatione dirimendo, opinionem, & famam consultissimi Doctoris sibi conciliet.

Contra vero prudentia spiritus facit, ut sacer minister omnia circumspiciat, & quod optimum factu est amplectatur; ut bene præparato animo ad audiendas fidelium confessiones accedat; ut se ipsum a contagione peccati immunem, atque integrum servare curet, eas adhibendo cautiones, quæ a S. Carolo, S. Francisco Salesio, & a Nobis quoque in prima nostra Synodo præscriptæ sunt; ut diligenter exploret, an poenitens rite comparatus sit, & dispositus ad gratiam Sacramenti recipiendam; ut aptis interrogationibus integram peccatorum confessionem ab eo eliciat, eumque excitet ad veram contritionem; ut juxta Evangelii, & Ss. Patrum, qui ejus interpretes sunt, doctrinam sententias ferat; ut optimis monitis, & præceptis in viam christianæ justitiæ poenitentes dirigat; ut variis animarum morbis apta adhibeat remedia; nec hominum favorem, aut plausus quærat, sed in omnibus Dei gloriam, & animarum salutem unice respiciat. Quas quidem spiritualis prudentiæ partes sequentibus articulis expendendas suscipimus.

CA-

(a) *Isai. XXX. v. 10.*

CAPUT II.

De iis, quæ agenda sunt a Confessario, quotiescumque sui ministerii opus aggreditur.

ARTIC. I.

De Oratione præmittenda.

GRande opus aggredimur, quum ad audiendas fidelium confessiones accedimus; agitur enim de peccatoribus cum Deo reconciliandis, de animabus a potestate dæmonis eripiendis, atque a funestissima peccati morte ad vitam gratiæ revocandis. Christus Dominus, cui *omnia dedit Pater in manus* (a), quique plenissima potestate, quam a Patre acceperat, in carne nostra mortali divina operabatur, antequam Lazarum a mortuis suscitaret, ingemuit, flevit, Patrem oravit, ut discamus quid nobis agendum sit, quum tanti mysterii dispensationem suscipimus. Itaque antequam confessionalem sedem adeamus, ad aram provoluti effundamus coram Deo corda nostra, eumque enixe exoremus, ut sapientiæ suæ luce mentem nostram collustret, ne per ignorantiam, vel incogitantiam a recto judicio deflectat, & gratiæ suæ auxiliis cor nostrum communiat, ne alienis sordibus commaculetur, quo spectant preces, quas S. Carolus juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam recitandas confessariis proponit, & Nos quoque in calce primæ Synodi nostræ exhibuimus.

(a) *Joann. XIII. 3.*

ARTIC. II.

De excipiendis pœnitentibus, & exploranda eorum præparatione.

PAterna deinde charitate unumquemque excipiamus veluti nobis ab ipso Christo Salvatore nostro commendatum illis verbis: *Curam illius habe: & ...ego cum rediero; reddam tibi* (a), nec laboris, molestiæque impatientia quemquam a nobis arceamus. Si vero nobis incognitus sit poenitens; de eoque dubitari possit, an rite instructus sit, & comparatus ad Sacramenti gratiam recipiendam, quod quidem non modo in rudibus, & agrestibus hominibus, verum etiam in politioribus non raro contingit, idque ex eorum confessione facile colligitur, exploremus, an teneat rudimenta fidei, ac præsertim divina mysteria, quorum fides explicita necessaria est ad salutem: an diligens conscientiæ suæ examen inierit, ejusque latebras omnes, & recessus lustraverit; an fervida prece divinam opem imploraverit; an vere, & ex animo doleat, quod peccaverit, dolore plane intimo, supernaturali, summo, atque efficaci, nempe conjuncto cum certo, ac firmo animi proposito vitandi peccata, & quæ ad id necessaria sunt fideliter præstandi; an actus fidei, spei, & charitatis, tum etiam contritionis elicere norit, eorumque actuum motrices rationes, & caussas probe percipiat, quandoquidem fieri nequit, ut voluntas in actum erumpat, quin ejus rationes, & caussæ ipsi exhibeantur. Quos autem ingnaros mysteriorum fidei invenerimus, vel ad Sacramenti gratiam recipiendam haud satis comparatos, vel

(a) *Luc. X. 35.*

vel criminibus, & censuris irretitos, a quibus per facultatem Nobis traditam absolvi nequeant, ne deseramus, ne quasi desperatæ salutis homines dimittamus, sed omni spe, atque industria juvare conemur, ut se se dignos exhibeant absolutionis beneficio. Benigne, patienterque confitentes audiamus, nec ullum fastidii, offensionis, aut indignationis signum edamus, ne suspicionem aliquam circumstantibus injiciamus, vel metum, ac verecundiam confitenti, cui omnino oportet animos addere, ut omnia, ac singula peccata sua quantumvis turpissima liberrime confiteatur. Sed neque ejus confessionem crebris interrogationibus interturbemus, nisi id necessitas postulet.

ARTIC. III.

De necessitate eliciendi a pœnitentibus integram mortalium peccatorum confessionem.

Ex institutione, & natura Sacramenti Poenitentiæ universa Ecclesia semper intellexit integram peccatorum mortalium confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Ita Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. V. de confessione. Sed in tanta confitentium multitudine paucos invenire est, qui integram, ac perfectam exomologesim faciant, nisi prudens, ac solers sacramentalis Pœnitentiæ minister eorum conscientias excutiat, & putrem quodammodo ex earum vulneribus saniem exprimat. Complures enim peccata opere ipso completa, & post ultimam confessionem perpetrata aperiunt, sed nihil loquuntur de innumeris peccatis cordis, quæ ipsa peccata operis vel præcedunt,

vel pone ſequuntur; nihil de inveterata peccati conſuetudine; nihil de frequenti poſt confeſſiones lapſu in eadem peccata; nihil de funeſtiſſimis peccandi occaſionibus, quas vitare, vel a ſe amoliri non curant; nihil de præcipuis ſuorum peccatorum cauſſis, cujuſmodi eſſe ſolent ignavum otium, familiaris cum improbis conſuetudo, aleæ, epulæ, choreæ, ludi, ſpectacula, atque alia id genus, quibus dediti ſunt, ſenſuum oblectamenta; nihil de damno aliis illato, ſive iniquis contractibus, ſive mercede operariis denegata, ſive æris alieni ſolutione plus nimio prorogata; nihil de violato præcepto ſanctificationis feſtorum, vel correctionis fraternæ; nihil de prætermiſſa familiæ cura, vel chriſtiana filiorum educatione; nihil denique de neglectu quotidianæ orationis, chriſtianæ mortificationis, eleemoſynæ, aliorumque officiorum, quæ vel communia ſunt, vel ſui ſtatus, ac muneris peculiaria. Iſthæc porro, atque alia plura vitia, ac peccata in confeſſione non exprimunt, ſive quod chriſtianas inſtitutiones aſſidue, uti par eſt, ac diligenter excipere non curaverint, ſive quod terrenis curis, & cupiditatibus implicati, de iis, quæ ad animarum ſuarum ſalutem pertinent, nunquam, aut raro admodum cogitent. Et iſti quidem innumeris ſe ſe innectunt peccatis, quæ nullam habere poſſunt excuſationem, quandoquidem ex culpabili ignorantia, vel incogitantia proficiſcuntur, & tanto inſanabilius peccant, ut ait Auguſtinus (a), quanto minus agnoſcunt ſe peccare; neque enim quiſquam ſuorum criminum veniam impetrare poteſt ſine poenitentia cum ſincera emendandæ vitæ voluntate conjuncta.

Qui

(a) *Conf. lib. V. cap. X.*

Qui vero fieri potest, ut veræ poenitentiæ lacrymis sua deploret peccata, qui nullam eorum habet conscientiam; ut vitia sua emendet, qui eorum turpitudinem minime agnoscit? Isti igitur a via salutis longe absunt, neque ad ipsam revocari possunt, nisi opportunis interrogationibus latentia eorum peccata eruamus per poenitentiam delenda. Quæ quidem omnia cum brevi temporis spatio fieri nequeant, liquet profecto, quam male se gerant confessarii, qui plurimos poenitentes, quorum mores, vitæque rationem ignorant, celerrime expediunt.

CAPUT III.

De interrogationibus adhibendis ad eruenda confitentium peccata.

UT ad integram peccatorum suorum exomologesim poenitentes juventur, in iis potissimum confessionibus, quæ totum anteactæ vitæ spatium, vel sat magnam ejus partem complectuntur, operæ pretium est Dei, atque Ecclesiæ præcepta, quibus communia christiani hominis officia continentur, ordine percurrere, & quid adversus singula actum, dictum, cogitatum, aut prætermissum fuerit, diligenter inquirere. Sed accuratum quoque examen instituendum est circa peculiaria officia, quæ homini pro sui status, conditionis, ac muneris ratione incumbunt; cujus quidem examinis, quod a confitentibus sæpe negligitur, specimen aliquod sequentibus articulis exhibemns.

AR-

ARTIC. I.

De interrogandis Laicis pro varia eorum conditione.

Confitentium noſſe oportet ſtatum, conditionem, ætatem, ac vitæ genus, ut integra peccatorum mortalium confeſſio, quæ juxta Tridentini Concilii doctrinam Divino jure præcepta eſt (a), ab ipſis eliciatur. Nobiles nimirum, & quotquot civicis, vel militaribus honoribus clareſcunt, rogandi ſunt, ut conſiderent, an forte aliis prælucere neglexerint pietate, religione, & ſacrorum reverentia; an libros apud ſe habeant, vel aliis legendos tradant, in quibus de rebus agitur bonis moribus, vel chriſtianæ Religioni adverſantibus; an molli vita, luxu, pompa, ſupercilio, & aliorum contemptu chriſtianæ pietatis, & modeſtiæ leges violaverint; an dominicis, & feſtis diebus in ornatu corporis, in conviviis, ludis, deambulationibus, vanis colloquiis, choreis, ſpectaculis tempus Deo ſacrum abſumpſerint, an diu multumque diſtulerint mercedem operariis, vel æs alienum creditoribus perſolvere non ſine eorum detrimento, ac damno; an ſceleſtos homines ſuo patrocinio audaciores fecerint ad perpetranda flagitia, quum ab ipſis potius pupillorum, & viduarum tutela ſuſcipienda eſſet; an ſingulare certamen reparandi, ut ajunt, vel tuendi honoris cauſa ſuſceptum aliquando probaverint, vel paratum geſſerint animum ad illud ineundum.

Divites percunctari oportet, an malis artibus opes congregando in Diaboli laqueos inciderint, an immoderato affectu ipſis adæreant; an erga pau-

(a) *Seſſ, XIV. Can. VII.*

pauperes parum misericordes sint, & malint thesauros suos in terra, ubi innumeris patent insidiis quam in coelo, ubi in tuto sunt, effusa in pauperes misericordia, recondere.

Pauperes, an, quandiu valent, strenue operentur, suisque laboribus victum sibi, suæque familiæ comparare studeant, vel potius eos imitentur, qui otio, atque ignaviæ dediti res alienas furantur, aut, quum nummorum marsupium habeant, stipem emendicando invalidis, ac vere egentibus eleemosynas injuste præripiant; an de iis tantum solliciti, quæ ad victum pertinent, catecheses excipere, Dei verbum audire, divinis mysteriis adstare, orationi vacare, ad Poenitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta accedere negligant; an suæ conditionis incommoda impatienter ferant, ac de divina Providentia conquerantur, quasi ab ipsa neglecti fuerint, ac derelicti, quando dilectissimus Dei Patris Filius pauperrimam in mortali carne vitam duxit, pauperes tantum homines sibi adjunxit, eosque esse voluit consiliorum suorum participes, suæ Ecclesiæ Principes, suique regni consortes.

Conjuges, an mutua benevolentiæ, ac fidei officia impleant, semotis suspicionibus, ac dissidiis; an corpora sua possideant in sanctificatione, & honore, omnique ope, atque opera se invicem juvent; an vir se gerat ut caput mulieris, non ut dominus, eamque regat blandis cohortationibus, ac consiliis; mulier vero morem gerat viro, ejusque voluntati pareat in Domino; omnes præterea diaboli pompas, & immoderatum cultum, ornatumque aversetur, nec patiatur sibi, aut filiabus suis manum admovere hodiernos concinnatores, quorum ministerium, rejecta foeminarum opera, in comendis, exordinandisque capillis a mu-

mulieribus passim adhibetur, juxta invectam non sine ingenti hujus ævi probro detestabilem corruptelam.

Negotiatores, & mercatores ditescere cupiunt; qui autem *volunt divites fieri, incidunt in tentationem*, ut loquitur Apostolus, *& in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem* (a). Quum autem innumeræ sint doli, & fraudis species, quæ adhiberi solent plurimique sint iniqui contractus, vel usuræ labe infecti, ac sæpe etiam ita involuti, atque implicati, ut eorum vitia non ita facile in oculos incurrant; accurate evolvendi sunt, ac perpendendi, ut liqueat, in quo violatæ fuerint commutativæ justitiæ leges.

Peculiare autem examen instituere oportet cum mercatoribus, ac dispiciendum, si forte incautos, & imperitos deceperint vendendo vitiatas merces pro integris, & probatis; obvias, & communes pro peregrinis, viles pro pretiosis absque justa pretii diminutione; si cum aliis mercatoribus in monopolium conspiraverint, ut aliquod mercium genus certo pretio, quod justo majus esset venderent, vel justo minori emerent, si non æquis ponderibus, ac mensuris usi fuerint; si res furto ablatas scienter emerint; si quidquam carius vendiderint illud ipsum redempturi viliori pretio; si filiorumfamilias prodigalitati, & libidinibus inservierint, merces ipsis vendendo magno pretio post mortem patris ab ipsis solvendo; si ex simplicitate, & imperitia emptorum injustum fecerint quæstum, vel de qualitate, aut justo pretio rei venalis sciscitantibus mentiti fuerint, aut pejeraverint. Curandum au-

(a) *Tim. VI. 9.*

autem quammaxime est, ut isti omnes animarum suarum saluti consulant justa damnorum reparatione. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (a)?

A peccandi periculo præ cæteris abesse videntur artifices, coloni, & quotquot operam suam aliis locant pacta mercede; hi enim suis operibus assidue intenti otiositatem fugiunt, quæ omnis malitiæ mater est, ac magistra; & plurima ignorant vitiorum irritamenta, cujusmodi sunt mollis vita luxu, & deliciis diffluens, ludi, choreæ, scenica spectacula, omnesque diaboli pompæ, quæ pravos in animo affectus excitant, & mores corrumpunt. Et hi quidem, si Dominicos, & festos dies religiose colant, inculpatam ducere solent vitam, & omnia christiani hominis officia fideliter implent. Verum si a divinis obsequiis se se abduci sinant, & ad popinas, ac tabernas pertrahi, quæ vitiorum omnium palestræ sunt, omniumque scelerum officinæ, universæ legis divinæ, & ecclesiasticæ violatores citissime evadunt. Quapropter qui diebus Deo sacris eas adire solent, & diu in ipsis versari, super singulis divinæ, & ecclesiasticæ legis præceptis accurate inquirendi sunt in sacramentali judicio.

Præcipue autem ab artificibus quærendum est, an forte per dolum, aut negligentiam commiserint, ut opus suum minus utile evaserit, vel etiam periculosum, & noxium; velut si cæmentarius, seu faber murarius domum extruxerit male materiatam, vel minus apte connexam, & colligatam, quæ brevi ruitura sit; an de re sibi credita quidpiam furati fuerint; veluti si sutor partem aliquam panni, si molitor partem aliquam

(a) *Matth. XVI. 26.*

tritici præter statutam mercedem sibi retinuerit, vel bonum triticum in deterius commutaverit; a colonis, an sedulam in agrorum cultura operam impenderint, an prædiorum Domino fructus ipsi debitos contribuerint; ab operariis denique, & mercenariis, an in operibus, quorum causa diurna mercede conducti sunt, prout æquitas postulat, & tempus, & vires, & diligentiam impenderint.

Pueri, & puellæ peramanter suscipiantur, eaque benignitate, quam ipse Salvator noster erga tenellam ætatem ostendere consuevit. Cohortandi autem sunt blandis sermonibus, ut non labiis tantum, sed intimo quoque cordis affectu Deum exorent; ut cælestem Christi doctrinam avide excipiant, & in corde suo custodiant; ut parentibus obtemperent, & eorum jussa, veluti ipsius Dei mandata prompte, alacriterque faciant; ut sodales, quos vitio aliquo corruptos agnoverint, veluti visibiles Dæmones effugiant, omnibus cacodæmonum legionibus in ipsorum perniciem conspirantibus magis timendos.

In explorandis autem eorum conscientiis caute admodum incedendum est, ne forte ipsorum animis ingeratur notitia vitiorum, quorum felicissima adhuc gaudent ignorantia. Juverit ergo primum inquirere, an forte quidpiam libenter viderint, audierint, cogitaverint, quod christianæ modestiæ adversetur; an cum aliis pueris liberius jocati fuerint, aut minus decenter; an fecerint quidquam, quod non auderent in conspectu majorum suorum facere, tum paulatim ad ulteriora progrediendum est, si opus sit facto, quandoquidem cito se exerit in pueris concupiscentia: *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (a). Juverit

(a) *Gen. VIII. 21.*

rit autem eos adducere, ut crebro confiteantur: juverit quoque absolutionem aliquando ipsis impertiri, quum scilicet censeri potest sufficientem haberi materiem remotam Sacramenti, tum vero etiam proximam, quæ sita est in sincera peccatorum detestatione. Juverit denique maximam adhibere curam, ut ad Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ sancte, fructuoseque suscipienda rite se se disponant; hinc enim æterna fidelium salus potissimum pendet.

Nec sane deserendi, aut negligendi sunt hebetes, semifatui, surdi, ac muti, sed divinorum mysteriorum notitia quoad ejus fieri potest imbuendi, quod Parochorum præcipue munus, atque officium est, solertiorique industria curandum, ut idonei evadant ad confessionem verbis, aut signis, & nutibus faciendam, & Pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum; nam, & in ipsis viget concupiscentia, & sæpe etiam tantum rationis inest, ut facile possint lethali aliquo peccato se se inquinare.

ARTIC. II.

De inquirendis circa Laicorum munera, atque officia.

LOngum profecto esset universa officiorum munera percurrere; sed lubet præcipua quædam recensere, ut quisque videat, qua potissimum ratione plena, & integra exomologesis ab iis erui possit, qui in excutienda conscientia sua, ejusque latebris perlustrandis parum diligentes inveniuntur.

Magistratus porro, ac Judices, ut hinc exordiamur, pluribus se se peccatis onerant, & gravia

alia inferunt damna, si promissa non impleant in ipsa officii susceptione jurisjurandi sacramento firmata; si per ignaviam, & negligentiam judicia protrahant; si litigantium jura minus accurate perpendant; si, mendicata eruendæ veritatis caussa, inutilia, & superflua suscipiant itinera, vel moras alicubi plus justo protrahant alicujus communitatis, aut privatorum hominum sumptibus; si partium studio, favore, aut gratia, vel precibus, aut muneribus a justitiæ tramite se se abduci sinant; si ambiguas ferant sententias, quæ novas lites parare solent; si scelera, & flagitia impune grassari patiantur, vel dies festos operibus, & vecturis palam profanari, tum vero etiam in ganeis, & popinis improbos homines vacare ludis, comessationibus, & ebrietatibus, quo tempore divina officia celebrantur. Super his igitur accurata instituenda est inquisitio.

Non absimili examine excipiendi sunt quotquot caussarum patrocinium, & procurationem suscipiunt, vel publici Notarii munus exercent; nam, & isti in maximo versantur periculo lædendi justitiam non sine gravi aliorum noxa. Sciscitari ergo oportet, nunquid eas egerint causas, quarum manifesta erat iniquitas, vel subdolis artibus adnisi fuerint judicibus fucum facere; nunquid authores fuerint, ut partes, quæ jam erant conciliandæ, pertinacius dissiderent, vel ut convenirent inter se, quum ei parti, cui patrocinabantur, jus nullum esse cognoscerent; nunquid cavillationibus subtiliter excogitatis, vel callidis tergiversationibus causas in longum produci curaverint, ut ipsi diutius lucrarentur, vel ob ignaviam, & incuriam suam in culpa sint, quod clientes

entes causam perdiderint; num de illicitis contractibus fraudulentis, aut usurariis chirographa confecerint, atque obsignaverint; num in ipsis formulam aliquam data opera prætermiserint, qua deficiente irrita haberentur, vel per dolum, & fraudem aliqua inseruerint verba, sive incongrua, sive ambigua, quæ contractum infirmare valeant, vel litibus ansam præbere. De his igitur diligens ineundum est examen, & videndum, quæ sit præstanda pro illatis damnis reparatio.

Medicos quoque, & Chirurgos plura circumstant peccandi pericula, facile enim, dum munus obeunt medendi corporibus, lethali jaculo animam suam confodiunt, sive quod ex industria, vel per ignaviam morbos alant, quos cito possent depellere, vel plures, quam par est, aut pretiosiores medicinas præscribant, ut Pharmacopolæ gratificentur; sive quod incerta, ac dubia experiri velint remedia, cum adhibere possint certa; vel in consultationibus opinioni suæ tenaciter adhæreant, tametsi aliorum sententiam meliorem esse intelligant, & malint systema suum tueri, quam ægro consulere; sive denique quod nimis leviter consignatas literas tradant postulantibus dispensationem a lege quadragesimalis jejunii, vel curare negligant, ut ægrotantes peccatorum suorum exomologesim mature faciant juxta constitutionem S. Pii V. P. M. (a), vel monere non audeant ut periculose decumbentes spiritualibus Sacramentorum subsidiis opportune muniantur.

Nec certe magis insontes sunt Pharmacopolæ, si medicamina suppeditent vetustate corrupta, aut vitiata, vel inutilia, aut noxia, vel alia a præscriptis; si mortifera venena incaute, & te-

(a) *S. Pius V. Const.* Supra gregem 8. *Mart.* 1566.

temere vendant, vel ea, quæ vim habere censentur impediendi fœminarum conceptus, vel abortus provocandi. De his ergo quærendum est sacramentali conscientiarum judicio, ac dispiciendum, an forte quidpiam actum fuerit, quod suscepti officii integritati, ac fidei adversetur.

Administratores hospitalium, aliorumque piorum locorum, quæ alendis, subveniendisque pauperibus instituta sunt, impune possunt ea diripere, atque expilare, quum vix inveniatur, qui velit pauperum gratia improborum hominum odia, atque inimicitias sibi conflare eos in judicium pertrahendo. Hinc plurimi sunt, qui hujusmodi locorum procurationem, & avide affectant, & libentissime suscipiunt, & iniquissime gerunt, sive eorum census in proprios usus convertendo, sive prædia sine legitimis licitationibus parvo locando amicis, & conjunctis, qui fructus absumunt, & fundos ipsos depopulantur, sive pecuniam iis mutuando, qui solvendo non sunt; nec adduci possunt, ut suæ administrationis computa, & rationes exhibeant; qui denique erogandas pauperibus eleemosynas minus fideliter, circumspecteque effundunt. Et isti quidem heu quam horrenda mala sibi consciscunt. Nam si male habebunt in die judicii, qui de bonis suis pauperibus non subveniunt, quid tandem erit de iis, qui bona ipsa pauperibus attributa devorant, vel dispergunt? Quamquam, & in hoc seculo aliquam tanti piaculi pœnam subeunt; nam eorum substantiam scrutatur fœnerator, eorum bona alieni diripiunt, eorum filii mendicant, & ejiciuntur de habitationibus suis, ut quotidie usuvenire conspicimus.

His accensendi sunt, qui quum sacrarum ædium curam, & procurationem gerant, collatas a fide-

fidelibus eleemosynas, ut sacra suppellectili decenter instruantur, ut earum sarta tecta serventur, ut divina mysteria in ipsis rite celebrentur, velut sacrilegi Heliodori distrahunt, & in profanos usus impendunt, & quod maxime dolendum est, ac deplorandum, istiusmodi prædones ad sacramentum Poenitentiæ saltem paschali tempore accedentes non profutura absolutione donari solent, & eucharisticæ Communionis, non sine ingenti christiani populi offensione, participes fieri, propterea quod de prava piorum locorum, vel sacrarum ædium administratione nihil in confessione loquuntur, vel fallaci reparandi damna promissione in animarum suarum perniciem Sacerdotem decipiunt. Super his ergo iniqui isti administratores opportunis interrogationibus urgendi sunt, & a Sacramentis arcendi, donec quam possunt satisfactionem, & compensationem præstare coeperint, atque ita veræ poenitentiæ haud dubia argumenta exhibuerint.

Inquirendum etiam, an qui hospitalibus præsunt, infirmos & pauperes omni spirituali & temporali ope qua decet charitate & solertia juvari curent; an expositos infantes enutriendos, atque educandos suscipiant, ferenda enim non est eorum impietas, qui, ut piorum locorum rationibus prospiciant, miseros istos infantes alio deferri curant, quo sæpe fit, ut omni adjumento destituti miserrime intereant.

Multo plura, & graviora sunt Parentum, eorumque omnium, qui familias regunt, officia, & ex eorum neglectu mirum, quam ingentia mala in christianam rempublicam exundent. Inquirendum ergo, an conentur liberos in timore Domini educare, curentque eos christia-

næ religionis rudimentis imbui, orationi assuescere, actus fidei, spei, & charitatis frequenter elicere, ea implere, quæ in quotidiana christiani hominis exercitatione præscripta sunt, sacris mysteriis religiose interesse, cumque per ætatem licuerit, ad exomologesim, ad Confirmationis, & Eucharistiæ sacramenta accedere. An solliciti sint ad christianæ pietatis officia monitis, atque exemplis eos adducere, a periculosis sodalitatibus eos avertere, & pullulantia in eorum animis vitia evellere. An eos pro conditione sua decenter alant, atque ita instituant, ut honestum aliquod vitæ genus suscipere valeant; an quempiam ex liberis ob domesticas rationes compulerint ecclesiasticum, vel regularem statum amplecti. An noctu secum in thalamo retinuerint puerilis ætatis filios, quod eorum innocentiæ esse potest quammaxime noxium, vel lactentes sine cunarum, vel alterius repaguli cautione, quod certe non vacat suffocationis periculo. An passi fuerint pueros, & puellas in eodem cubiculo, vel quod turpius esset, in eodem lecto discumbere. An toleraverint uxorem, aut filias denudatis humeris, ac pectore incedere.

Quam maxime autem hortandi sunt christiani parentes, ut bonum Tobiam imitentur, qui filium suum ab infantia timere Deum docuit (a), nimirum ut a primo ipso rationis crepusculo filios suos doceant rerum omnium conditorem, & rectorem Deum ubique nobis præsentem credere, *in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus* (b); immensæ propterea ejus Majestati summam ubique reverentiam adhibere, nihil agere, loqui aut cogitare, quod ipsi displi-

(a) *Tob. 1. 10.* (b) *Act. XVII. 28.*

pliceat; omnia in ejus honorem, & gloriam dirigere; divina mandata accurate implere; Dei autem voluntatem in ipsa parentum voluntate agnoscere; ut curent filios suos avertere a mendaciis, ab aliorum contemptu, irrisione, atque offensione, pueriles autem noxas, quas sincere confessi fuerint facile condonare, ac remittere, & in operibus charitatis, & misericordiæ eos adhibeant. Festinabit profecto innata concupiscentia pravos in eorum cordibus affectus excitare. Festinabit corruptus mundus vitiorum omnium exempla, atque irritamenta ipsis exhibere. Festinabit diabolus ignitis tentationum telis eos impetere. Nitantur ergo parentes christianæ pietatis exercitatione liberos suos a teneris unguiculis informare, eorumque animos sincero Dei timore, atque amore adversus tam validos hostes communire; ne cito cogantur ob depravatos eorum mores uberes lacrymas fundere inutiliter.

Ad reliquam familiam quod spectat, sciscitentur, an curent domesticos inter se pacem servare, dies festos religiose colere, ad Poenitentiæ, & Eucharistæ sacramenta frequenter accedere, popinas, aleas, commessationes, choreas, ganeonum consortia, ac pravas quascumque familiaritates, & consuetudines vitare. An humaniter ac benigne cum ipsis agant, pactam mercedem persolvant, & ægrotantibus, aut senio confectis opem ferant, quandoquidem *qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior* (a).

AR-

(a) 1. *Tim. V. 8.*

ARTIC. III.

De interrogandis viris ecclesiasticis pro vario eorum ordine, & ministerio.

QUum Ecclesiæ ministris, qui christiano populo præsunt, durissimum in extremo die maneat judicium, accuratissimum quoque a confessario de iis, quæ ad ipsorum munus, atque officium pertinet, instituendum est examen.

I. Ac primo quidem *de divina vocatione*. Nulli hominum fas est sine divina vocatione Sanctuarium Domini per Sacros Ordines temere ingredi; scriptum est enim: *Quos elegit Dominus, appropinquabunt ei* (a); *nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron* (b). Sed maxima sane Ecclesiæ calamitas hæc est, quod multi ad Sacros Ordines accedunt, vel ut parentum voluntati pareant, qui terrenas tantum familiæ rationes, atque utilitates respiciunt, vel ut pacatam, & otiosam vitam agant; quasi non essent laboriosissima, & anxiæ sollicitudinis plena ecclesiastica ministeria; vel ut opes possideant sub Christo paupere, quas, sub divite Mundo sperare non possent, vel ut dignitates aucupentur in Ecclesia, qui abjecti, & contemptibiles essent in seculo. Et isti quidem si ad majores Ordines, atque ad Sacerdotium evehantur, fiunt christiano populo in laqueum, & in scandalum; quandoque enim plus valent ad Ecclesiæ destructionem, quam optimi Sacerdotes ad ædificationem.

Hos igitur prudens conscientiarum moderator a proposito deterrere nitatur, & antequam ejus probet consilium, qui Tonsura initia-

(a) *Num. XVI. 5.* (b) *Hebr. V. 4.*

tiari, & ecclesiasticis ministeriis mancipari desiderat, diligenter consideret, an divinæ vocationis notæ in ipso eluceant; nimirum vitæ integritas, & morum sanctimonia, mite, ac docile ingenium; frequens ad Poenitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta accessus, assiduitas orationis, accurata sedulitas in catechesibus, in sacris cæremoniis, in divinis mysteriis atque officiis, quæ in Ecclesia celebrantur; diligens humanarum, divinarumque literarum studium eo fine susceptum, ut sacerdotalia munia digne, fructuoseque implere valeat; firma denique, & sincera voluntas se totum impendendi in iis ministeriis, quæ Dei cultum, & animarum salutem respiciant; quibus quidem notis, atque indiciis qui caret, a sacris Ordinibus omnino arcendus est.

Si quis autem inveniatur, qui non vocatione divina, sed temere, aut humano ambitu ad superiores Ordines, vel ad Sacerdotium ipsum conscenderit, monendus erit, ut poenitentiam agat, nervisque omnibus nitatur Ordinis sui officia fideliter implere, & adversa omnia fortiter superare, implorata fervidis precibus divina ope, ut fecisse legimus Apostolos in navicula fluctuantes, qui quum esset contrarius ventus, erant laborantes in remigando (a), & exorta procella dormientem Dominum excitarunt illis vocibus: *Domine, salva nos, perimus* (b).

II. *De clericalis vitæ ratione*. Ut clericali ordini constet authoritas, & debitus ipsi honor ab universo populo habeatur; tum etiam ut quotquot in sortem Domini vocati sunt, & sacris ministeriis addicti, externi cultus habitusque

(a) *Marc. VI. 48.* (b) *Matth. VIII. 25.*

que gravitate, ac modeſtia compoſitionem animi præſeferant, ſaluberrimis Conciliorum, & Summorum Pontificum decretis conſtitutum eſt, ut clerici omnes clericalem tonſuram, ſeu coronam geſtent, & habitum eccleſiaſticum, nigram ſcilicet veſtem, & talarem, ſeu uſque ad talos productam in omnibus eccleſiaſticis miniſteriis omnino abhibeant (a). Hujusmodi autem leges gravium poenarum ſanctionibus communitas ſine piaculo violari non poſſe manifeſtum eſt.

Quapropter qui per intolerabilem temeritatem, religioniſque contemptum ſine clericali corona incendunt, vel comam, ſive nativam, ſive adſcititiam in humeros diffluentem, vel calamiſtro criſpatam, unguentis delibutam, & pulvere conſperſam gerunt, qui laicali cultu, & veſtitu incedunt; qui ad ſacra munia in Eccleſia obeunda talarem veſtem non deferunt, ſi eccleſiaſticis legibus parere nolint, ſine ſacramentali abſolutione dimittendi ſunt, & ab eccleſiaſticis miniſteriis prohibendi.

Quotquot ad ſacros Ordines aſſumuntur, in vineam Domini vocantur, ut in ea ſtrenue operentur. Non ergo ad ignavum otium vocantur, non ad voluptates, aut terrenas curas, ſed ad laborem in eccleſiaſticis miniſteriis, officiiſque impendendum, ut quum portaverint pondus diei, & æſtus, pactam mercedem ab optimo Patrefamilias accipere mereantur. Quamobrem turpiter officio deſunt, qui tempus inu-

(a) *Conc. quiniſextum cap. Nullus. Conc. Lateran. III. Œcum. ſub Alex. III. Conc. Vienn. Œcum. ſub Clem. V. Clementina tit. de vita, & honeſtate Cleric. Concil. Trid. ſeſſ. xiv. de reform. can. vi. idem ſeſſ. xxv. decr. de reform. cap. 1. Sixtus V. Conſt. Cum Sacroſancta.*

inutiliter terunt, qui dum divina myſteria ab aliis in Eccleſia celebrantur, dum divinæ laudes canuntur, dum catecheſes habentur, dum Dei verbum populo annuntiatur, dum in eccleſiaſticorum virorum cœtibus theologico-morales quæſtiones expenduntur, vel in platea deambulant, vel in otioſorum hominum coetibus verſantur.

Gravioris autem piaculi rei ſunt, poeniſque per ſacros Canones ſancitis obnoxii, qui non verentur venationi, aleæ, luſibus, choreis, ſcenicis ſpectaculis indulgere, vel dare operam quæſtuoſis negociis, & eorum cauſſa frequenter adire mercatus, & nundinas, & crebris litibus judicem fatigare. Accedit quod iſtiuſmodi Sacerdotes Superioris Eccleſiaſtici monita ac præcepta contemnere ſolent, eiſque obſequentes irridere, diſcordias, & ſimultates excitare, graves moleſtias afferre loci Parocho, & populi odium in ipſum conflare. Porro hi omnes a via ſalutis longe abſunt; nec comparati cenſendi ſunt ad Sacramenti gratiam recipiendam, quandiu in ejuſmodi lacrymabili conſuetudine verſantur.

III. *De Horis Canonicis*. Quiſquis ex Eccleſiæ præcepto, ſive ob Ordinem ſacrum, in quo conſtitutus eſt, ſive ob eccleſiaſticum, quo donatus eſt, beneficium, ſive ob religioſam profeſſionem divinas laudes, ac preces per Horas Canonicas diſtributas perſolvit, velut Eccleſiæ legatus pro tota ipſa Eccleſia, *imo vero*, inquit Chryſoſtomus, *pro univerſo terrarum orbe intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut omnium hominum, non viventium modo, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat* (a). Quapropter quo

(a) *S. Jo. Chryſ. lib.* VI. *de Sacer. cap.* IV.

quo die quisquam divinum Officium, vel notabilem ejus partem absque justa causa prætermittit, gravis peccati reus efficitur; quod si ecclesiasticum beneficium possideat, restitutioni fructuum obnoxius est ex decreto Concilii Lateran. V. sub Leone X., quod confirmatum, atque innovatum est a S. Pio V. Constit. edita die XII. Octobris an. 1571., cujus initium est: *Ex præscripto Lateranensis Concilii*. Restitutio autem facienda est *pro rata omissionis recitationis Officii, & temporis*, ut loquitur Concilium; *& fructus beneficii, tanquam injuste percepti, erogandi sunt in fabricam ipsius beneficii, & pauperum eleemosynas*.

Sed videndum præterea, qua mentis attentione, & cordis devotione divinæ laudes persolvantur. Si enim deliberata mentis evagatione, & absque ullo pio cordis effectu id fiat, recitatio divinarum laudum non vera oratio dicenda erit, sed potius hypocrisis, ut docet S. Antoninus his verbis: *Clerici quoque, & Religiosi, cum dicunt divinum Officium,... si voluntarie mente distrahuntur, hypocrisis est, quia ex ipso actu ostendunt se divinis vacare, quum mentem habeant ad inutilia, & vana, unde Dominus Jesus ait* Matth. V. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (a). Et Sanctus Thomas in ejusmodi recitatione divinarum Horarum ecclesiastici præcepti violationem agnoscit; ait enim: *Dicendum quod attentio actualis, sive per essentiam, sive per virtutem requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad evitandam transgressionem in illa, quæ est de præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est*

no-

de præcepto (a). Quapropter qui ita Horas Canonicas persolvunt, restitutioni per Lateranense Concilium præscriptæ obnoxii sunt.

Considerandum quoque est, an forte ita festinanter, ac præcipitanter persolvantur divinæ laudes, ut mutilentur verba, vel integra deglutiantur, ut sæpe faciunt viri ecclesiastici, qui diurnum hoc divini Officii pensum ægre, ac moleste ferunt, nec aliud magis curant, quam ut ab eo se se citissime expediant.

Notandum denique Canonicos, aliosque chori servitio addictos muneri suo deesse, & temporales fructus, seu distributiones sibi vindicare non posse, si aliis canentibus sileant, vel suppressa voce divinas laudes submurmurent; si absque justa caussa extra tempus vacationibus concessum a choro absint; si ad chorum accedant divinis officiis dudum inchoatis, vel ad eo discedant, antequam fuerint absoluta.

IV. *De celebratione Missæ*. Tremendum hoc ministerium, quo nihil sanctius, atque augustius excogitari potest, turpissime profanatur a Sacerdote, qui minus sancte religioseque illud obeat, præcipue vero si sacrosanctam hostiam cum certa, aut dubia lethalis peccati conscientia offerre audeat; si ad altare sine clericali tonsura, & oblonga veste, quam talarem vocant, vel indecoro habitu, cultuque corporis accedat, si nullum, aut nimis breve tempus ante, & post Missam orationi tribuat; si ita festinanter Missam celebret, ut vix uno quadrante horæ tantum opus absolvat; si præcipiti lingua quæ legenda sunt percurrat ac devoret, præsertim in canone, vel quæ agenda sunt præpropere agat, quæ quidem omnia irreligiosi animi sunt,

&

(a) *S. Th. in IV. dist. XV. qu. IV. art. II. quæstiunc. IV.*

& omnis pietatis sensus expertis, & gravis offensionis causam populo exhibent.

Infidelis quoque, atque indignus esset altaris minister, qui susceptis celebrandarum Missarum oneribus non integre satisfaceret, vel qui ab altero Sacerdote Missas celebrari curaret, partem aliquàm acceptæ stipis sibi retinendo, quo quidem turpis lucri detestabili crimine sibi conscisceret sancitam poenam suspensionis sanctæ Sedi reservatæ (a).

V. *De administratione Sacramenti Pœnitentiæ*. Sanctissimo hoc ministerio nefarie abuteretur Sacerdos qui in ipsa sacramentali confessione, vel ejus occasione, aut simulata ipsius specie ad turpia, atque inhonesta quoquo modo quempiam sollicitaret, ac provocaret, atque ita pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigeret, ut loquitur Benedictus XIV. in sua Constitutione edita 1. Junii an. 1741., cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*.

Officio quoque suo non sine gravi culpa deesset hujus Sacramenti minister, si poenitentes quos novit ab alio sollicitatos, non moneret de obligatione denunciandi sollicitationis authorem, & sacerdotalem absolutionem ipsis impertiret, antequam reum indicaverint ecclesiastico judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant, ut statuit idem Pontifex laudata Constitutione.

Perperam quoque se gereret Sacerdos, si, qua caret auctoritate uti auderet, sacramentalem absolutionem ei impertiendo, qui per se, vel per alios insontem Sacerdotem accusasset, nam idem Sanctissimus Pontifex memorata Constitutione sibi

(a) *Bened. XIV. Const.* Quanta cura *30. Jun. 1741.*

sibi, & Successoribus suis potestatem hanc reservavit, adeo ut nullus Sacerdos quavis auctoritate ac dignitate munitus ea uti valeat, nisi erga poenitentem in fine vitæ, & in mortis articulo constitutum.

Per eamdem Constitutionem sancitum est, ut *ne quis extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipso mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum decalogi præceptum commisso excipere audeat ..... & si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris excommunicationis pœnam, a qua non nisi Summi Pontificis authoritate absolvi possit, ipso facto incurrat.*

Aliis quoque ejusdem sapientissimi Pontificis Constitutionibus gravissimarum poenarum sanctione munitis districte prohibetur, ne quis confessarius temere, & sine justa caussa (qualis certe censenda non esset, ut ait idem Pontifex, *procuranda alterius correctio*) patrati criminis socium, seu participem sibi per nomen a confitente manifestari curet, vel quoquomodo indicari; tum etiam ne quis audeat damnatam hanc praxim tueri ac defendere, quæ alterius famam lædit, gravem injuriam sacramento Poenitentiæ infert, & ab ejus participatione atque usu fideles avertere valet. Quæ quidem omnia in mentem revocanda sunt, ne a memoria excidant.

Gravibus etiam peccatis se se oneraret Sacerdos, qui ad audiendas fidelium confessiones accederet cum conscientia peccati lethalis, quin ipsum per poenitentiam expiare curaverit; tum etiam qui doctrina theologico-practica leviter instructus non nitatur assiduo studio, & frequenti

 ex-

exercitatione in ecclesiasticorum virorum coetibus in ea proficere qui arduos, & implicatos casus in audiendis confessionibus occurrentes temere dirimeret sine matura consideratione, & consultatione; qui author esset, ut restitutio pro damno illato, vel re accepta Ecclesiæ potius, aut pauperibus fiat, quam iis, qui rei suæ detrimentum patiuntur; qui noxia prodigalitate absolutionem largiuntur ignaris mysteriorum Fidei, aut sufficientia veræ poenitentiæ indicia non exhibentibus; qui per incuriam, vel culpabilem incogitantiam ultra præfinitur traditæ sibi facultatis tempus, vel in casibus Sanctæ Sedi, aut Episcopo reservatis absolutionem confitentibus impenderet; qui denique poenitentes ad integram peccatorum suorum confessionem juvare negligeret, vel ad contritionem aptis motivis excitare, vel in viam salutis opportunis monitis, & cohortationibus dirigere.

VI. *De pastorali ministerio*. Gravissimum sane onus vel ipsis angelicis humeris formidandum suscipiunt Parochi, eorumque Vicarii, omnesque Ecclesiæ Prælati, quibus animarum cura demandata est; oportet enim ut non sibi vivant, sed Christo, & ejus gregi sibi credito, pro quo ipse Christus mortuus est (a); nimirum ut *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, ut monet ipse Apostolus (b); ut gregem suum mercenariorum more non deserant, sed apud ipsum continenter maneant juxta saluberrimum Concilii Tridentini decretum (c), nec

(a) *II. Cor. V. 12.*
(b) *I. Tim. IV. 12.*
(c) *Conc. Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. I. item sess. VI. cap. II.*

nec nisi urgente de caussa ab ecclesiasticis Superioribus cognita, & probata a statione sua discedant, quumque id fieri contigerit, idoneo Sacerdoti Ecclesiam suam commendatam relinquant; ut per semetipsos, quoad ejus fieri potest, populum doceant, divini verbi dispensationi, & Sacramentorum administrationi sedulo incumbant, nec vicaria aliorum Sacerdotum opera utantur, nisi ut universi Populi necessitatibus, quibus ipsi impares sunt, satisfacere valeant; ut diebus Dominicis, aliisque festis, quibus fideles sacris mysteriis interesse jubentur, Missæ Sacrificium offerant pro Populo, nulla eleemosyna pro ejus celebratione accepta; ut vigilias fideliter custodiant super Christi gregem, ne lupus oves invadat, ac devoret, & si qui sint scelesti homines, qui christianos mores corrumpant, vel perversa dogmata, & perniciosos libros disseminent, eos emendare studeant, & contumaces Superioribus denuncient, ne in animarum perniciem impune grassentur; ut odia, dissidia, simultates, inimicitias, siquæ in populo suboriantur, impensissimo studio lenire, ac sedare studeant; ut ægrotantes frequenter invisant, solentur, ac juvent; ingravescente autem morbo, Ecclesiæ Sacramentis eos communiant, & ad extremum usque spiritum ad christianæ pietatis actus excitare nitantur; ut orphanorum, & viduarum paternam curam gerant, & pauperum necessitatibus impensissime subveniant, & caveant quammaxime, ne ex reditibus Ecclesiæ propinquos augeant (a), nec putent se pastorali officio satisfacere, si ex conflata pecunia beneficium aliquod ecclesiasticum, seu sacer-

(a) *Conc. Trid. Sess. XXV. Cap. I.*

cerdotium instituant, reservato agnatis, & propinquis, eorumque successoribus ejus patronatu, & nominationis jure; nam qui id faciunt, consulere volunt consanguineis, non Ecclesiæ, cujus vera calamitas dici possunt hujusmodi beneficia.

Ad pastorale ministerium propius accedit spirituale regimen sacrarum Virginum, quae, ut sæculi inquinamenta declinarent, intra septa monasterii, velut columbæ in arcam, se se receperunt, & jure optimo cum S. Cypriano appellari possunt illustrior portio Gregis Christi. Præcipuum autem Sacerdotis ad ejusmodi officium assumpti munus est solertissimam adhibere curam, ut solemnia vota, quibus fidem suam cælesti Sponso obstrinxerunt, fideliter impleant, susceptaque instituta diligenter servent; quotiescumque opus facto esse existimaverit, non vereatur in sacramentali confessione eas monere, ut considerent, num forte paupertatis votum violaverint, sive res, aut pecuniam apud se retinendo, Abbatissa, seu Præfecta inscia, vel invita, sive quidpiam ex rebus vel propriis, vel communitatis usibus destinatis suo arbitrio erogando; num pravo aliquo, vel periculoso affectu quempiam prosecutæ fuerint, cum eoque familiariter egerint sive per verba, sive per epistolas; num Superiorum monita ac præcepta contempserint, vel filialis observantiæ, ac reverentiæ, quæ ipsis adhibenda est, officio defuerint; num extra clausuræ limites pedem efferre ausæ sint, vel in causa fuerint, quod ab externis hominibus violarentur clausuræ leges per Tridentinum Concilium (a), & per Summos Pontifices Bonifa-

(a) *Conc. Trid. Seff. XXV. c. V. de Regul. & Monial.*

nifacium VII (a), Pium V. (b), & Gregorium XIII. (c) promulgatæ, & gravissimæ poenæ sanctione communitæ, excommunicationis scilicet latæ sententiæ, quem quidem scopulum facile offendunt janitrices, quæ monasterii fores minus accurate custodiunt, maxime vero Abbatissæ, si septa monasterii quempiam ingredi permittant absque licentia ab Ordinario facta, vel illos ipsos, qui de ejus licentia ingrediuntur, per monasterium vagari sinant, vel in ipso cibum sumere, quæ quidem etiam per Synodales Constitutiones vetita sunt (d). Nec sane prætermittendum est examen super diligentia, & studio regularis disciplinæ, quæ crebris institutorum violationibus passim dissolvitur, accedente potissimum Abbatissæ tolerantia, quæ sæpenumero non vacat lethali culpa, tum etiam super charitatis, & benevolentiæ officiis erga sorores, & pace, atque concordia, semotis dissidiis, & simultatibus, diligenter servanda. Inquirendum denique, an puellarum intra septa monasterii commorantium solertissima, ut decet, cura habeatur, an a seculi pompa, & elegantiori cultu atque ornatu avertantur, & optimis christianæ vitæ institutis informentur.

Hactenus de variis officiorum generibus, ac de peccatis, & vitiis, in quæ pro varia status, conditionisque ratione passim labuntur homines ob ipsorum officiorum neglectum, aut contemptum. Videant nunc confessarii, quæ-

(a) *Bonif. VII. cap.* periculoso *de statu Regul. i.* 6.
(b) *S. Pius V. Constit. quæ incipit* circa Pastoralis officii 29. *maji.* 1566., *& alia* Decori, & honestati 1. *febr.* 1569.
(c) *Greg. XIII. Constit.* Deo sacris 29. *dec.* 1572.
(d) *Synodus Montisreg. habita an.* 1763. *cap. XXII.*

quænam potiſſimum interrogationes adhibendæ ſint, ut cujuſque ſtatus, & conditionis poenitentes ſua agnoſcant peccata, eaque ex animo deteſtentur, & coſtanter vitare ſtatuant, & in novitate vitæ ſalutem ſuam operari. Equidem raro contingit, ut de re aliqua eos interrogare oporteat, qui conſcientiæ ſuæ latebras (quod facile ex ipſâ confeſſione dignoſci poteſt) accurate perſcrutantur, vel quorum mores, & anteactæ vitæ ratio ex præcedentibus confeſſionibus innoteſcunt. Verum rudes homines, ignari, ac plumbei, tum etiam qui ſeculi curis, aut oblectamentis in diverſa diſtracti de æternæ ſalutis negocio parum ſolliciti ſunt vel diuturna peccandi conſuetudine retuſam, & conſopitam conſcientiam gerunt, multis urgendi ſunt interrogationibus, ut omnia peccata ſua agnoſcant, confiteantur, deplorent, & pravos mores emendare firmiter ſtatuant.

Idem charitatis officium præſtandum eſt poenitentibus, qui in diſcuſſione conſcientiæ ſuæ juvari poſtulant, maxime in confeſſionibus generalibus, tum vero etiam graviter decumbentibus, & in mortis periculo conſtitutis, qui vi morbi oppreſſi, ac proſtrati nequeunt per ſe omnes anteactæ vitæ annos recogitare in amaritudine animæ ſuæ, & omnia, quæ perpetrarunt peccata in mentem revocare.

Si autem quiſpiam occurrat, qui non audeat turpe aliquod crimen in confeſſione aperire, blandis eum verbis, & paterno affectu hortetur Sacerdos, ut illud confiteri non vereatur apud hominem miſerrimum, qui, dum vivit, in maximo verſatur periculo graviora perpetrandi ſcelera, ſi Deus tantiſper ab ipſo re-

recedat; tum etiam ipſi denunciet nullius peccati veniam obtineri poſſe, ſi vel unum tantum in confeſſione celatum fuerit, imo vero ceteris peccatis adjungi horrendum ſcelus ſacrilegii; omnia autem peccata, quæ non fuerint per Pœnitentiæ Sacramentum rite ſanċteque ſuſceptum deleta, non uni tantum homini, ſed univerſis Angelis, atque hominibus manifeſtanda fore in extremo judicio.

Si autem poenitens adhuc hæreat, & turpe aliquod crimen evomere non audeat præ erubeſcentia, eum interrogare juverit, ex gr. an foediſſimum aliquod ſcelus perpetraverit; an forte in ipſum centies, aut millies lapſus fuerit; ſic enim facile adducetur, ut minora, aut pauciora confeſſario aperiat. *Diligens inquiſitor, ſubtilis inveſtigator ſapienter, & quaſi aſtute interroget a pœnitente, quod forſitan ignoret, vel præ verecundia velit occultare* (a).



CA-

(a) *S. Aug. vel alius author tractatus de vera & falſa pœnitentia.*

CAPUT IV.

De commonendis confitentibus, & ad veram pœnitentiam, vitæque emendationem excitandis.

ARTIC. I.

De commonendis peccatoribus vitio aliquo corruptis.

PErſpectis ſpiritualibus confitentium morbis, ſupereſt ut eorum curationem ſuſcipiamus, & opportuna remedia ipſis adhibeamus; ineptiſſimus enim, & amens cenſeretur medicus, qui cum accurate conſideraverit gravem cujuſpiam morbum, ejuſque naturam, cauſſas, effectus, & ſyntomata inveſtigare curaverit, nihil de curatione cogitet, & quin ullum ægro præſcribat pharmacum, ullumque adhibeat remedium ipſi valediceret.

Itaque ſiquos reperiemus vitiis deditos, & peccandi conſuetudine irretitos, eorum conſiderationi proponemus funeſtiſſimæ mortis periculum, quod ipſis imminet, tremendum Dei judicium, æternæ maledictionis fulgur, acerbiſſima, & nunquam finitura ſupplicia, eoſque enixe obſecremus, ut *non tardent converti ad Dominum, nec differant de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet eos* (a); ut divitias divinæ bonitatis, & patientiæ nolint diutius contemnere, nec per duritiam ſuam, & impœnitens cor theſau-

ri-

(a) *Eccl. V. 8. 9.*

rizent ſibi iram in die iræ (a); ut viam ſalutis ſtatim ineant, in eaque conſtanter progrediantur, dum lucem habent, jam enim nox ingruit, in qua nemo poteſt operari (b).

Gravius autem corripiemus peccatores, qui poſt iteratas confeſſiones in ea ipſa peccata, quæ confeſſi ſunt, facile relabuntur, & perpetuo itu, & reditu a confeſſione ad peccatum, a peccato ad confeſſionem, datam Deo fidem violant, & ſibi viam ſternunt ad finalem impœnitentiam, quandoquidem crebri in peccata relapſus horrorem peccati minuunt, concupiſcentiæ vires augent, voluntatem infirmant, atque enervant, & faciunt, ut validiora divinæ gratiæ auxilia merito ipſis ſubtrahantur, quibus deſtituti miſerrime ruunt in interitum ſempiternum. Quoniam vero cenſendum eſt, confeſſiones, quas nulla ſubſecuta eſt emendatio, nulluſque peculiaris niſus ad evitandum peccatum, ſacrilegas fuiſſe, aut ſaltem irritas, atque inanes, curandum omnino, ut a pœnitente repetantur confeſſiones ab eo tempore, quo cœpit alicujus vitii morbo laborare.

Quoniam vero ex ignoratione divinæ legis, eorumque officiorum, quæ univerſo chriſtiano populo communia ſunt, vel pro ſui ſtatus muneriſque ratione cuique incumbunt, innumera prodeunt peccata, & incredibilis exiſtit animarum pernicies; quos in hac lacrymabili ignorantia verſari noverimus, erudire conabimur, ſerioque monebimus, ut aſſidue publicas catecheſes excipiant, ſibique etiam conſciſcant peculiarem aliquem magiſtrum, a quo accurate doceantur.

Qui in proxima peccandi occaſione volunta-

(a) *Rom. II. 4. 5.* (b) *Jo. IX. 4.*

tarie versantur, monendi sunt, ut eam illico amoliantur, ac fugiant, tanquam a facie colubri (a), tametsi id, quod peccandi occasionem præbet, dextera manu, aut pede, aut oculo carius sit, atque utilius, quum juxta saluberrimum Salvatoris nostri monitum melius sit debilem, vel claudum, vel luscum introire in regnum Dei, quam duas manus, duos oculos, vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis sempiterni (b). Non raro contingit, ut occasio peccandi non voluntaria sit, sed necessaria sive physica, sive morali necessitate. Tum vero qui in ejusmodi occasionibus constituti inveniuntur, magnopere hortandi sunt, ut adversus peccandi pericula se se communiant spiritualibus præsidiis, per quæ proxima peccandi occasio evadat remota. Hæc autem præsidia sunt salutaris poenitentiæ opera, de quibus infra capite VII.

Peccatores, qui suam ad Deum conversionem moliuntur, internam experiri solent luctam inter carnem, & spiritum. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (c); nimirum spiritus in Deum tendit, eique adhærere optat per divinæ legis custodiam; caro vero tenaciter adhæret vanitatibus mundi, & sensuum voluptatibus, & christianam vitam reformidat, ac refugit ut morte ipsa amariorem. Hos porro internos tumultus passus est Augustinus, quum de incunda salutis via secum deliberaret, & in utramque partem fluctuabat, ac moras nectebat Christi jugum perhorrescens. Quum vero, abrupta per divinam gratiam ferrea illa catena, quam ipse sibi diuturna peccandi consuetudine fabrica-

(a) *Eccles. XXI. 2.* (b) *Marci IX. 42. 44. 46.*
(c) *Gal. V. 17.*

catus fuerat, in libertate filiorum Dei respirare coepit, statim sensit quam magna sit multitudo ejus dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se (a), quam miseræ, ærumnosæ, & amaritudinum plenæ seculi vanitates, sensuumque voluptates, ac libidines, quas tanto ardore antea prosequebatur: *Quum subderem cervicem levi jugo tuo, & humeros levi sarcinæ tuæ, Christe Jesu adjutor meus, & redemptor meus, quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! & quas ammittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat* (b). Non absimili voluptate, & gaudio afficiuntur quotquot ad Deum, a quo per peccatum longe discesserant, per poenitentiam revertuntur, & in ipsis poenitentiæ lacrymis puram illam, & sinceram voluptatem percipiunt, de qua loquitur Augustinus memorato lib. ix. c. 6., ubi ait: *Eliquebatur veritas in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum illis.*

Erigendi ergo sunt meticulosi isti peccatores spe illius jucunditatis, qua perfundentur eorum animi, si non amplius suis cupiditatibus, sed Deo unice servire incipiant, ejus mandata fideliter custodiendo. Bonum enim conscientiæ testimonium ab ipsis ethnicis Philosophis tantopere commendatum veluti jucundissimum convivium, quo probi homines recreantur, æternæque mercedis spes, quæ divinis promissionibus nititur, in omnibus hujus vitæ ærumnis eos mirifice solantur, ut cum Apostolo veraciter dicere possint: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (c), vel

(a) *Ps. XXX. 20.* (b) *S. Aug. Conf. lib. IX. c. 1.*
(c) *II. Cor. VII. 4.*

vel cum Regio Psalte: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (a). Charitas Christi in eorum cordibus diffusa facit, ut omnia divina mandata levia sint, ac suavia, & veluti alas subministrent, per quas animus valeat ad Deum assurgere.

Deum esse summum hominis bonum, in eoque sitam esse veram, perfectam, ac perennem hominis felicitatem & fides docet, & ratio ipsa commonstrat; qui autem Deo per hanc vitam adhærent, specimen aliquod persentiunt ejus felicitatis, quam expectant in cælis, ubi arctissimo, & indissolubili foedere ipsi erunt conjuncti. Hinc est, quod miram animi tranquillitatem, atque hilaritatem constantissime præseferunt, neque extera se oblectamenta, & solatia quærunt, quum intus in corde habeant perennis consolationis fontem. Non sic impii, non sic, sed acerbissimis conscientiæ morsibus nullo non tempore excruciantur, & vehementi futurorum metu concutiuntur. Secum habitare nequeunt, & extra se exire coguntur, ut quicquam arripiant, quo animum fluctuantem fulciant, ne in extermum moerorem prolabatur. Veruntamen omnia terrena bona, omnia hujus seculi oblectamenta inania, & fluxa non valent sustinere animum ad majora natum, qui nonnisi in Deo tranquillitatem & quietem invenire potest. Hinc veluti naufragi ad alia, atque alia aquarum volumina indesinenti conatu extendunt brachia, ne demergantur. Sed deficient in morte, atque evanescent vana hæc, & misera fulcimenta, ipsi vero in profundum tormentorum barathrum descendent quasi lapis (b). His igitur, aliisque id genus rationibus, &

(a) *Psal. XXX. 20.* (b) *Exod. XV. 5.*

& cohortationibus adducendi ſunt peccatores, ut omni timore pulſo, chriſtianæ vitæ viam alacriter ineant, & ſtrenue progrediantur.

ARTIC. II.

De iis, qui tepiditate, & languore ſpiritus laborant.

Ex iis, qui ad poenitentiæ Sacramentum frequenter accedunt, plurimi inveniuntur infirmi ſpiritu, languidi, deſides, ac tepidi, qui in minores noxas quotidie labuntur plena voluntatis deliberatione; ſibi autem placent, ſibique plaudunt, propterea quod mortifera peccata averſantur, & vitare nituntur. Non furantur, ſed ſuis bonis tenaciter adhærent, & erogandæ eleemoſynæ præceptum pro ſui ſtatus ratione ægre implent. Graves iujurias nemini inferunt, ſed facile alios irrident, aut vellicant, eorumque mores carpunt. Non negligunt omnino jejunia ab Eccleſia præcepta: ſed in ipſis jejuniis delicias quærunt. Dominicis, & feſtis diebus nullum ſervile opus faciunt, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio interſunt, ſed parum aſſidui ſunt in aliis chriſtianæ pietatis, & religionis officiis, quæ ad feſtorum dierum ſanctificationem pertinent. Pudicitiam abjicere nolunt, ſed ſenſus ſuos non ſatis caute cuſtodiunt, nec violandæ per internos ſaltem actus caſtitatis pericula vitare ſatis ſtudent. Multas fortaſſe preces quotidie fundunt, ſed ſummis labiis plerumque Deum honorant, cor autem eorum longe eſt ab eo, deficiente nimirum mentis attentione, & pio cordis affectu. Sacramenta frequenter ſuſcipiunt, ſed ſine devotionis fer-

vore, & parum fructuose, nullum enim faciunt in via virtutis progressum. Humiles sunt quandiu laudibus ornantur, & honoribus afficiuntur; mites, & mansueti, quandiu a nemine læduntur; patientes, quandiu nihil molestum occurrit, & omnia votis cedunt; suavi & jucundo vitæ genere delectantur, christianam autem mortificationem reformidant; coronari vellent sine certamine, & sine ingenti vi, & conatu sempiternum illud regnum adipisci, de quo scriptum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (a). Hinc fit, ut falsam sibi efforment conscientiam, eas facile amplectendo opiniones, quæ cupiditatibus favent, cum evangelica vero doctrina haud satis cohærent, eamque ineant viam, *quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem* (b).

Miserrima hæc animi habitudo, & constitutio languor quidam est spiritus, & similia habet cum corporis languore symptomata; qui enim spirituali hoc morbo laborant, meliora aversari, ac nauseare solent, pias scilicet exercitationes, quæ saluberrima animæ nutrimenta sunt, seculi autem illecebras, & sensuum oblectamenta expetere, quemadmodum Israelitæ in deserto cælestis mannæ pertæsi cæpis, & carnibus Ægypti inhiabant. Nullum in via Domini movere valent gressum sine ingenti nisu, & conatu, & qualibet viæ asperitate, aut difficultate perterriti ab incoepto desistunt, ac recedunt. Levis divinæ legis sarcina gravissima ipsis videtur, studentque perpetuo aliquid momenti, ac ponderis ipsi detrahere. Sibimetipsis graves sunt, & tædio, ac moerore conficiun-

(a) *Matth. XI. 12.* (b) *Prov. XIV. 12.*

ciuntur, siquidem & cælestibus carent consolationibus, quibus se indignos exhibent, & terrenis voluptatibus non audent libere frui, obsistente conscientia, vel sui status ratione, ac decori studio id prohibente; & quod longe tristissimum, ac funestissimum est, de emendatione vitæ parum cogitant, nec commoventur tremenda illa Dei comminatione: *quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (a).

Porro qui hujusmodi morbo conflictantur, monendi sunt gravissimi, in quo versantur, periculi, ac magnopere hortandi, ut in iis, quæ colere utcumque solent, christianæ pietatis, & religionis officiis rectum sibi finem proponant, nimirum placendi Deo, in iisque adhibeant omnem animi attentionem, & pium cordis affectum, sic enim non modo sine labore, ac tædio, sed suavissima jucunditate, ac voluptate ea implebunt, adjuti scilicet divinæ gratiæ præsidiis, & spe illecti æternæ retributionis, quandoquidem qui secus faciunt dura omnia, ac difficilia experiuntur, & majori labore, ac sumptu nihil omnino lucrantur.

Tum vero etiam adducendi sunt, ut vacent quotidie orationi, & rerum æternarum meditationi, & huic officio, quod tanti momenti est, certum tempus constituant, nec putent sibi propterea defuturum esse tempus in iis negociis, quæ ad suum statum, ac munus pertinent, necessario impendendum; nam quotidiana oratio, ac meditatio plus temporis pro aliis honestis curis suppeditat, removendo scilicet animum ab inanibus colloquiis, a nugis, & ludis, & noxiis mundi solatiis, atque oblecta-

(a) *Apoc. III. 16.*

mentis, in quibus tempus inutiliter, ac miserrime conteritur.

Suadendi quoque sunt ac persuadendi, ut reliquas amplectantur pias exercitationes, quas superius præscribendas esse diximus iis, qui in vitiorum sordibus jacent, præcipue vero, ut frequenter perlegant acta Sanctorum ex indubiis documentis fideliter excerpta, in quibus praxis doctrinæ evangelicæ nobis exhibetur: mirum scilicet quantam vim habeant sanctorum exempla ad imitationis studium in corde excitandum, & quam multi ex eorum lectione, aut narratione christianæ perfectionis desiderio incensi ad sublimis sanctitatis apicem convolaverint.

Adhibendæ quoque sunt validissimæ rationes, quæ nos compellunt, ut fideliter, constanter, fervidoque cordis affectu Deo serviamus; nam per singula vitæ nostræ momenta innumeris beneficiis a Deo cumulamur; per momenta singula propius accedimus ad tremendum illum diem, in quo vel de omni verbo otioso, quod locuti fuerimus, rationem reddituri sumus (a), & apud quem Judicem! apud Judicem justum, qui nos judicabit de lege nobis promulgata, de lege certa, firma, atque invariabili, quæ nec exceptionem patitur, nec derogationem, aut abrogationem, nec diuturni temporis prescriptionem; apud Judicem inexorabilem, qui nec precibus flectetur, nec lacrymis commovebitur; apud Judicem severum, qui violatores suæ legis damnabit poenis intensione atrocissimis, duratione æternis, & nullo temporis momento mitigandis. Fortasse nobis labitur extrema diei hora; an non ergo ne-

(a) *Matth. XII. 36.*

necesse est, ut salutis nostræ opus celeriter, fortiterque urgeamus? Quod si longiusculum aliquod temporis spatium nobis supersit, an forte erit cur nobis facti pœniteat, si tantum opus statim agrediamur? An non laborum diuturnitati, ac ponderi respondebit æternæ mercedis magnitudo? Præterea Christus Salvator noster singula mortalis suæ vitæ momenta pro nobis impendit, & quam magnos labores pertulit, quot ignominias passus est, quam sæva tormenta, quam acerbam, atque indignam mortem, ut salvi essemus? Non ne ergo oportet, ut quum tandiu nobis, & terrenis rebus vixerimus, quod reliquum est temporis, Deo & rebus cælestibus vivamus?

Quanta porro diligentia, assiduitate, atque constantia officia sua obeunt, qui Principibus in eorum aula serviunt, vel pro ipsis militant in castris! Quam duros labores tolerant, quam multis periculis vitam suam objiciunt! Quid autem quærunt, quo ambiunt pervenire? Eo nempe, ut Principis gratiam, & terrenos honores assequantur. Sed in his quid non fragile, plenumque periculis, & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum æternæ damnationis? Nos vero si adhæreamus Deo, si fideliter ipsi serviamus, jam ejus amicitiæ, & gratiæ compotes sumus, quam nec hominum invidia, nec rerum humanarum vicissitudines nobis eripere possunt, in eaque habemus certum pignus illius felicitatis, & gloriæ, qua in cælesti regno cum ipso perfruemur. Hac porro cogitatione perculsi sunt duo illi Valentiniani Imperatoris aulici, dum codicem legerant sibi fortuito oblatum, in quo descripta erat admirabilis vita magni Antonii solitudinum in-

incolæ, & Eremitarum parentis, & desiderio æterni præmii incensi, relicta Imperatoris aula, contemptisque mundi opibus, onoribus, ac deliciis, eremi solitudinem his omnibus anteponendam putarunt, ubi in jejuniis, & orationibus reliquum vitæ tempus transigerent; cujus quidem facti narrationem cum a Potitiano amico suo audiret Augustinus, dum adhuc de sua ad Deum conversione deliberaret, magis sibi displicuit, nec distulit vocantem Deum sequi, eique se totum devovere. Juverit ergo istiusmodi considerationes proponere iis, qui in via christianæ virtutis languidi, ac tepidi sunt, ut ad spiritualem fervorem excitentur.



CAPUT V.

De moderandis Scrupulosorum conscientiis.

ARTIC. I.

De scrupulis, & anxietatibus conscientiæ in communi.

SCrupulus, de quo hic agimus, est irrationabilis, & imprudens dubitatio, seu hæsitatio circa ea, quæ ad mores pertinent, cum anxietate, ac tristitia conjuncta, quæ animum excruciat, quemadmodum lapillus in calceum illapsus pedem lædit, ac dolorem creat. Qui hac ægritudine laborant, recto sunt corde, justitiam enim diligunt, iniquitatem vero aversantur, ac reformidant. Sed eorum mens densissimis tenebris circumfusa non valet in voluntatis actibus aliam ab alia moralem speciem discernere.

Equidem proxima humanarum actionum regula est conscientia, quæ singulos actus cum superna regula, nempe cum divina lege comparat, judicatque, utrum cum illa congruant, an ipsi adversentur. Verum scrupulosorum conscientia vanis timoribus, & angoribus perturbata incerta, & fallax regula est, cui fidere nequeunt, oporteteque propterea, ut sapientes animarum ductores consulant, eorumque judicio acquiescant. Sed hoc externum judicium, si cum intimo propriæ conscientiæ judicio pugnet, valde suspectum ipsis est, timentque propterea, ne salutem animæ suæ in discrimen adducant, dum alterius authoritati obsequuntur, & dum dociles esse volunt, verentur, ne se plus justo dociles exhibeant.

Uni-

Unicus ſane per hanc vitam veræ pacis, & conſolationis fons eſt chriſtiana pietas, ſed ſapientiſſimo ſupernæ Providentiæ conſilio aliquando contingit, ut ex iis ipſis, qui pietatem colunt, nonnulli ſint qui hujuſmodi animi angore conflictantur; ut per humilitatem, & patientiam æternæ pacis, & conſolationis præmium aſſequantur, tum etiam, ut habeant ſpirituales medici, in quo charitatem ſuam ac patientiam mirifice exerceant.

Plurimis ex cauſſis oriri poteſt hæc animi ægritudo, præcipue vero I. ex modica ingenii acie in diſcernendis ideis claris ab obſcuris, diſtinctis a confuſis. II. Ex corporis conſtitutione, atque habitudine, maxime vero ex temperamento melanchonico, quod ob arctiſſimum commercii foedus inter animum, & corpus conſtitutum, facit ut animus in ſuſpicionem, metum, ac moerorem ſit pronus, & nihil fere, niſi triſte, ac moleſtum revolvat. III. Ex vivida, ac vehementi imaginatione, quæ repente ſenſus omnes occupat, & voluntatem tam valide aggreditur, ut videatur ejus libertatem opprimere, & voluntatem vel invitam in actum pertrahere. IV. Ex ignoratione humanæ infirmitatis, perpetuæque pugnæ inter carnem, & ſpiritum, quæ a labe originalis peccati proficiſcitur. V. Ex imperfecta cognitione officiorum, quæ a chriſtiano homine implenda ſunt pro ſui ſtatus ratione. VI. Ex affinitate imaginationis cum commotione animi, ſeu affectu, & ipſius affectus cum voluntatis conſenſione; hæc enim tria tam arcte inter ſe conjuncta ſunt, ut non ita facile dirimi, ac ſecerni poſſint. VII. Ex colloquio, & conſultatione cum iis, qui ſcrupulis conflictantur, vel

vel circa ea, quæ ad mores pertinent, minus recto pollent judicio. VIII. Ex nequitia diaboli, qui proborum paci, & tranquillitati invidet, vel eos a virtutis tramite molestissimis angoribus abducere nititur, vel ab ipso alios absterrere veluti nimis arduo ac salebroso. In curandis autem scrupulis, qui morbi animi sunt, non secus ac in curatione morborum, quibus corpora conflictantur, permagni interest peculiares eorum caussas perspectas habere, ut aptiora subinde remedia præscribantur.

Commiseranda quam maxime est hujusmodi infirmitas quovis corporis morbo longe molestior; idcirco qui ea laborant, humaniter, ac benigne suscipiendi sunt, patienterque audiendi, tametsi eorum narrationes prolixæ admodum sint, obscuræ, implicatæ, ac confusæ; quandoquidem necesse est, ut eorum sermo confusioni mentis, & animi perturbationi respondeat. Accurata autem adhibenda est consideratio, per quam obscura collustrentur, ac perspicua fiant, involuta dirimantur, disjuncta componantur, confusa ordinentur, adeo ut intelligi possit, quid sit illud, quod animum angit, in quo sita sit dubitatio, quæ sit ejus causa, & utrum hæc alicujus momenti sit, an vero inanis, ac futilis.

Inter plurima peccata imaginatione conficta, quæ a scrupulosis effundi solent in confessione, nonnulla sæpe occurrunt vera, licet plerumque non gravia ab aliquo voluntatis vitio profecta, quæ porro non sunt scrupulis annumeranda, vel cum ipsis confundenda. Quin etiam in ipsis scrupulis aliquid sæpe invenitur culpabile, quod vel scrupulos gignit, vel cum ipsis componitur. Hæc autem non negligenda sane, aut præ-

prætermittenda sunt, sed solertissima cura adhibenda est, ut emendentur, nefas enim est in iis, quæ ad christianæ vitæ officia pertinent, quempiam fallere, aut in errorem inducere. Sola veritas perturbatas conscientias sedare valet, veramque tranquillitatem, & pacem ipsis conciliare, nec potest quisquam spirituali moderatori suo fidem adjungere, quem erga se nimium indulgentem senserit, vel ejus judicio acquiescere, quod in aliquibus minus rectum deprehenderit.

Juverit etiam scrupulosi hominis indolem, ingenium, mores, inclinationes explorare, tum etiam totius anteactæ vitæ rationem perspectam habere, ut rectum feratur judicium circa ea, quæ ejus conscientiam excruciant; fieri enim potest, ut ex aliquo animi vitio originem ducant, vel ex peccatis adolescentiæ, vel ex prava aliqua consuetudine, quæ licet resecta fuerit, aliquando reviviscit, ac veluti ex veteri radice pullulat. Nihil autem statuendum, ac decernendum est, nisi omnibus accurate perspectis, atque perpensis, ne forte nova aliqua emergente ratione variare oporteat sententiam; qui enim scrupulosa conscientia sunt, suspectum habent judicium, quod minime constans sit atque invariabile. Denique judicium, quodcumque illud sit, consilium, aut præceptum, non ancipiti sermone, aut obscuro, sed aperto, ac perspicuo, non hæsitanter, aut dubitanter; sed firmiter, atque asseveranter pronunciandum est; ut fortius animum afficiat, ab eoque omnem dubitationem, ac metum expellat.

Quoniam autem istiusmodi homines satis prudentes sibi videntur, ut proprio fidere possint judicio, curandum quam maxime est, u

pe

per humilitatem, ſimplicitatem, ac docilitatem ad parvulorum conditionem redeant, juxta illud divini Præceptoris munitum: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* (a); nimirum ut ſibi perſuaſum habeant intimum animi ſui ſenſum, circa ea potiſſimum, quæ ſcrupulis anſam præbent, incertam, pravam, ac prorſus ineptam eſſe ſuarum actionum regulam, ideoque in eo ſtatu ſe conſtitutos eſſe, ut omnino indigeant externa regula, conſilio ſcilicet ac nutu alicujus ductoris, ac pædagogi, a quo veluti parvuli per viam ſalutis tuto dirigantur; hanc autem eſſe Dei voluntatem ſatis expreſſam, & manifeſtatam, ut ejus, quem nacti fuerint, pii, ac ſapientis moderatoris dictis credant, judicio acquieſcant, monitis obtemperent abſque ulla proprii ſenſus conſultatione.

Solent iſti reponere ſpiritualem moderatorem, tametſi doctus, & pius Sacerdos habeatur, falli poſſe, & alios in errorem inducere, ejuſque propterea judicium incertam regulam eſſe, eo vel maxime quod, cum ne ipſi quidem arcana conſcientiæ ſuæ ſatis perſpecta habeant, nec valeant clare nitideque exponere, non poteſt Sacerdos quidpiam certo decernere, ac ſtatuere. Sed ineptum omnino eſt hujuſmodi effugium. Equidem Sacerdos animarum ductor, homo cum ſit, falli poteſt; ſed ſuſpicandum non eſt eum falli. Perſpicit ille conſcientiarum ambages, quæ ſcrupuloſis abditæ ſunt, imperviæ, atque obſcuræ, ideoque non temere aut inconſulto, ſed bene cognita cauſſa judicat, alioquin gravi piaculo conſcientiam ſuam oneraret, atque æternam damnationem ſibi conſciſceret. Quod ſi forte in aliquo er-

(a) *Matth. XVIII. 3.*

erraret, ac falleretur, immunis certe a peccato esset, qui se ejus judicio subjiceret, ejusque mandata faceret, nec animæ suæ salutem in periculum adduceret; & hæc porro est sapientum omnium sententia, quam ipsis S. Bernardi verbis juvat hic exponere: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, utrum per se, an per suos ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es: præsertim quum teneas de scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt: quia Angelus Domini exercituum est* (a)? ... *A quo denique divina potius consilia requirentur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus* (b).

Inter remedia molestissimi hujus morbi, qui maximam animi ægritudinem, & tristitiam creat, primum locum obtinet oratio: ait enim Jacobus Apostolus: *Tristatur aliquis vestrum? oret* (c). Confugiendum omnino est ad eum, qui *Pater misericordiarum est, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (d). In his animi procellis suscitandus est Dominus, cui & venti & mare obediunt, & cujus imperio, quum jam Apostolorum navicula operiretur fluctibus, facta est tranquillitas magna

(a) *Malach. XI. 7.*
(b) *S. Bern. lib. de praecept. & dispens. cap. IX. 21.*
(c) *Jac. V. 13.* (d) *II. Cor. I. 3. 4.*

gna (a). Quoniam autem qui ſcrupulis excruciantur, prolixæ orationi plerumque inſiſtere nequeunt, hortandi ſunt, ut brevi, ſed vivida, ac frequenti oratione frequentiſſime ad Deum aſſurgant, ejuſque opem implorent.

Monendi quoque, ut nunquam otioſe conſiſtant, ſed in externis operibus ſtatui ſuo convenientibus ſe ſe jugiter exerceant, maxime vero in operibus charitatis, & miſericordiæ erga fratres ſuos; per hæc enim divinam miſericordiam erga eos flectimus, per hæc charitatis fervor in nobis augetur, ac perficitur; *perfecta autem charitas foras mittit timorem* (b). Maximi etiam adjumenti ſunt ad ſedandas animi perturbationes literarum ſtudia, & crebræ lucubrationes; his enim mirifice recreatur animus, dum a triſtium rerum conſideratione avocatur.

Laudanda præterea eſt familiaris converſatio cum piis hominibus, qui in innocentia, & ſimplicitate cordis ambulant, & Domino ſerviunt in lætitia; nam eorum exempla & ſermones incendunt animos chriſtianæ virtutis amore, omnem horridi ſqualoris ſpeciem ab ea removendo, & in alios effundunt partem aliquam illius conſolationis, qua ipſi repleti ſunt, & ejus gaudii, quo ſuperabundant ob ſpem futuræ mercedis in æterna vita recipiendæ. Cavendum tamen, ne is, qui ſcrupulis angitur, de his, eorumque cauſis ſermonem inſtituat, præterquam cum eo, quem nactus fuerit conſcientiæ ſuæ moderatorem.

Illud etiam quam maxime curandum eſt ut ſcrupuloſi intelligant, quam multa ex eorum ægritudine oriri poſſint ſpiritualia damna ac pericula. Quum enim cogitationem omnem in

(a) *Matth. VIII. 26.* (b) *I. Jo. IV. 18.*

in ſe ipſos convertant, & malint ſecum habitare veluti in triſti, ac tenebricoſo carcere, quam ſe ſe ad res ſupernas erigere, & chriſtianæ pietatis officia ſedulo, alacriterque perſolvere, tempus omne inutiliter conterunt, vana perſequuntur, ſolida vero negligunt, ſibi ipſis, aliiſque inutiles omnino evadunt, & in virtutis tramite nihil admodum progrediuntur, quin potius dum vanis timoribus, atque angoribus ſe ipſos excruciant, vim omnem ſpiritus ita enervant, atque exhauriunt, ut nihil boni pro Dei gloria nihil pro ſua, vel aliorum ſalute ſuſcipere valeant, aut perficere.

Accedit quod quum inter agendum innumeras peccatorum larvas, & chimæras ſibi effingant, cum falſa, errante, aut perplexa peccati conſcientia plerumque agunt, quo fit, ut ob vanum peccandi timorem in vera peccata miſerrime labantur; quod ſpes chriſtianæ virtutis ſidus, & columen in ipſis langueſcit, quandoquidem divinæ juſtitiæ timore vehementer perculſi, de immenſa Dei bonitate, ac clementia vix, ac ne vix quidem cogitant; quod denique omnia chriſtianæ pietatis officia moleſta, atque odioſa ipſis evadunt; quoniam nihil inde ſpiritualis conſolationis percipiunt, imo vero eorum cauſſa perpetuis obnoxii ſunt anxietatibus, quamobrem non raro contingit ut ſuave Chriſti jugum, veluti nimis grave, atque intolerandum defatigati, ac pertæſi abjiciant, & ſe totos dedant mundi illecebris, & ſenſuum voluptatibus, ut ſuas in his conſolationes quærant.

AR-

ARTIC. II.

De Scrupulis in particulari.

QUoniam tam multa sunt christiani hominis officia, quæ sine æternæ damnationis periculo negligi nequeunt, plurima quoque sunt scrupulorum genera, quibus torqueri solent meticulosæ conscientiæ. Impossibile est singula persequi; juverit vero quædam expendere, quæ confessariorum patientiam, & charitatem frequentius exercent. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus* (a). Sed qui scrupulis laborant, frequentissimis, ac pertinacissimis anguntur tentationibus, quas ipsi sæpe excitant, nutriunt, ac fovent; plerumque enim tentationes sibi creant, dum rebus, quæ eorum sensibus objiciuntur, aliquid mali, aut periculi suo ipso timore affingunt, & turpem aliquam sibi repræsentant imaginem, quæ mentem percellit, animumque submovet, ac perturbat. Cumprimum autem interni tumultus sedantur, præteritas cogitationes ad examen revocant, omnesque animi affectus inde obortos percensent, & accuratissime inquirunt, utrum voluntas ipsis obsecundaverit, vel obstiterit; quod quidem examen, per quod in eandem tentationem se se conjiciunt, novo indiget examine, & hoc rursus alio, atque ita usque in infinitum abeunt examina periculi plena, quibus mens densioribus semper tenebris obvoluta nunquam poterit inter commotiones animi, & liberos voluntatis actus discernere, & certum aliquod judicium statuere. Hos igitur serio monere oportet, ut sensus quidem suos caute custodiant, ca-

(a) *Jacob. I. 14.*

eaque fugiant, quæ a probis, rectæque conscientiæ hominibus vitari solent, utpote ex genere suo periculosa, aut noxia, ceteris vero libere & confidenter utantur rebus, easque tuto edant actiones, quæ per se innocuæ sunt, licitæ, aut necessariæ, & nihil habent ejus periculi, quod in ipsis temere fingit imaginatio. Si autem aliqua suboriatur tentatio, eam citissime eludant cogitationem alio convertendo, & divinam opem enixe implorando; caveant vero quam maxime, ne quum tentatio cessaverit, inepto, importuno, & periculoso examine ipsam instaurent.

Nonnulli sunt, quibus quotidiana divinarum laudum recitatio ecclesiastica lege ipsis præscripta perpetua scrupulorum occasio est; timent enim, ne mens voluntario evagetur, ac distrahatur, dum hocce publicæ orationis officium implent, cumque hujusmodi timor eorum animos occupat, majores evagationes creat, nec sinit, ut ea attentione orent, quam solent in privatis orationibus suo arbitrio susceptis adhibere. Eadem sæpe legunt, ac relegunt, eadem recitant, ac repetunt, ut minus attentæ recitationis vitium emendent, sed crescente animi contentione ac perturbatione consequens est, ut minuatur attentio, ac penitus deficiat, eoque tandem res deducitur, ut huic muneri explendo dies non sufficiat, & prohibendi omnino sint, ne divinas laudes persolvant, quandoquidem ex hoc religionis officio, quod animos cælesti consolatione perfundere, & devotionis fervore incendere aptissimum est, nihil nisi intolerabiles angores, & cruciatus percipiunt.

Commiserandi profecto hi sunt, & omni adjumento, & solatio sublevandi. Oportet igitur eos peramanter suscipere, & magnopere hortari, ut omnes

omnes quidem evagationum causas removere studeant, quum volunt quotidianum hoc officii munus persolvere: ut animum ad orationem præparent: ut attentionem, ac devotionem a Deo enixe petant sub initium cujuscumque horæ canonicæ. Quoniam vero ea est mentis nostræ mobilitas, atque inconstantia, ut sæpe, nobis etiam insciis atque invitis, huc illucque discurrat; quotiescumque animadverterint eam temere peregrinari, & in aliqua extranea cogitatione versari, nitantur statim ipsam colligere, atque in sensum verborum intendere, vel certe in Deum dirigere, nihil admodum inquirendo, quæ & qualis, vel unde oborta fuerit aliena, atque absurda cogitatio. Illud autem districte, firmiterque præcipiendum est, ut in recitatione officii progrediantur, nec quicquam repetant, tametsi noverint evagationem mentis voluntariam fuisse, vel e culpabili negligentia profectam, sed de hoc doleant, statuantque diligentius, atque attentius divinum opus perficere. Quod si facere renuant, atque inobsequentes sint, a divini mysterii celebratione, aut participatione omnino arceantur, donec obtemperare discant, & se magis dociles præbere.

Grandius sane, ac molestius negocium quibusdam Sacerdotibus facessit intentio, quoties sacrosanctum Missæ sacrificium offerendum suscipiunt; verentur enim, ne voluntate, atque intentione careant tantum mysterium peragendi, & hanc intentionem ab imis visceribus exprimere nituntur, antequam ad altare accedant, tum etiam dum sacris operantur, maxime vero dum Spiritus Sancti virtutem invocant, per quam mystica symbola mutantur, dumqne tremenda Salvatoris nostri verba proferunt, quæ miraculo-

rum

rum omnium maximum perficiunt, indecentissime se se contorquent, & singula verba vehementi contentione proferunt, ac sæpe etiam repetunt, veriti ne minus articulate, & distincte illa protulerint. Verum quid fingi potest magis absurdum, atque insanum, quam anxia illa, & scrupulosa horum Sacerdotum sollicitudo circa intentionem faciendi sacrum? Cur enim se ipsos probant, & conscientiam suam excutiunt, ne tam sublime ministerium indigne suscipiant? Cur se ad illud obeundum aliqua oratione præparant? Cur in sacris vestibus assumendis statutas preces adhibent? Cur in ipsa Missa ea, quæ legenda sunt, distincte perlegunt, & cæremonias omnes ab Ecclesia præscriptas servant? Quorsum hæc omnia, nisi quod facere volunt, quod ex Christi Domini instituto facit Ecclesia?

Præterea quæ causa est dubitandi, utrum quis revera velit facere, quod sciens, & prudens facit, atque accuratissima diligentia? Denique anxius ille, quo anguntur, metus ne desit intentio, seu voluntas, an non certissimum argumentum est impensissimæ ac vehementissimæ intentionis? Certe non adeo solliciti essent de intentione operandi sacro, nisi id vellent efficacissime. Quid vero attinet tanto conatu divinæ consecrationis verba eniti, & tam sæpe iterare, quæ semel recte protulisse sat est? Ineptiæ istæ quam maxime dedecent tanti sacrificii dignitatem, sanctitatemque; Sacerdotale ministerium apud Populum in contemptum adducunt; adstantibus tædium ac fastidium creant, nec minus ipsis, quam Sacerdoti operanti attentionem adimunt, & pios animi affectus impediunt. Arguendi ergo sunt istiusmodi Sacerdotes, ac serio monendi, ut

hæc

hæc deliramenta procul abigant; ut curent quidem quam maxime jugi atque attenta mentis considerationè, pioque cordis affectu sacrosanctam Hostiam, quæ pretium nostræ salutis est, immolare, nunquam tamen anxio, & sollicito animo sint circa intentionem, seu voluntatem eam offerendi, quum hæc deesse non possit homini consulto agenti; ac tandem compellendi, ut qua decet gravitate, & majestate tam augustum mysterium celebrent, vel ab ejus celebratione desistant.

Qui a laxiori vivendi genere ad christianæ pietatis studium afflante divina gratia se se convertunt, tametsi plures antea confessiones emiserint, ad generalem peccatorum suorum exomologesim adducendi sunt; timendum scilicet, ne in præteritis confessionibus ob ignorantiam, vel negligentiam plura peccata mortalia prætermiserint, tum etiam ne minime sincera fuerit eorum poenitentia, quam nulla subsecuta est vitæ emendatio. Dum vero in semita justitiæ progrediuntur, cum eorum mentes vividiori luce collustrentur, ac divinæ legis mandata, & christiani hominis officia melius percipiant, plures alias vident præteritæ vitæ noxas, quas cupiunt alia generali confessione diluere, quod quidem semel adhuc fieri prudens animarum medicus annuere poterit. Verum si alias ejusmodi confessiones effundere velint, audiendi non sunt, sed serio monendi, ut omnia quidem anteactæ vitæ peccata generatim detestentur, ac defleant, non tamen ea singulatim percensere studeant, neque enim a memoria nostra, sed a sincero animi dolore ob infinita Christi Salvatoris nostri merita pendet justificatio.

Alii vero, non de præteritis confessionibus, sed

sed de iis, quas identidem faciunt, anxio nimis, ac sollicitò animo sunt, semper enim timent, ne satis accurate, ac distincte peccata sua aperuerint, cumque ad finem confessionis pervenerint, a calce ad carceres redeunt, ut singula fusius exponant, quod dum facere volunt, confessionem suam magis implicant, atque involvunt; nullam Sacerdotis monitis ac consiliis attentionem adhibent, nam eo loquente cogitant, an quidpiam addendum supersit, ejusque sermonem novis sæpe ineptiis intercipiunt, ac denique postquam, accepta sacerdotali absolutione, abierunt, ad sedem confessionalem redeunt, & novum aliquod dubium adferunt recens in animo excitatum.

Hæc sane ferenda non sunt; doceantur ergo istiusmodi confitentes congruum quidem tempus impendendum esse in discussione conscientiæ; postea vero torquendam non esse memoriam, tantam esse humani animi infirmitatem, ac miseriam, ut *in multis offendamus omnes* (a); sed inter quotidianas justorum offensiones (nam de his agitur) plurimas esse, quæ eos latent, & soli Deo innotescunt, quarum tamen veniam per Dei misericordiam, & clementiam obtinemus, dum de omnibus peccatis nostris sincere dolemus, & quæ nobis nota sunt, atque in memoriam redeunt, humiliter confitemur. Suum cuique officio tempus constituendum esse, ut omnia opera nostra secundum ordinem fiant, ut monet Apostulus (b); illud autem tota mentis attentione peragendum esse, quod agitur; unde in ipsis Paganorum sacris, dum victimæ idolis immolabantur, clamabat præco: *Hoc age: Hoc age*. Prohibeantur autem, ne ad examen redeant, dum per contritionem ad sacramenti gratiam recipiendam

(a) *Jac. III. 2.* (b) *I. Cor. XIV. 40.*

dam præparatur animus; dum saluberrima Sacerdotis monita, & consilia excipienda sunt, dum oportet gratias Deo agere, & pios illos in corde affectus excitare, quibus ad sacratissimam Christi mensam accedendum est. Si autem post acceptam absolutionem ad sacrum tribunal redeant, repellantur, & nisi quidpiam aliud obstet, cælestem panem sumere jubeantur.

Alii quoque sunt, qui vehementer timent, ne sine veraci dolore, ac sincera emendationis voluntate ad sacramentum Pœnitentiæ accedant, quandoquidem easdem noxas, leves quidem, sed voluntarias, vel certe ex culpabili negligentia profectas semper adferunt, & post plurimas confessiones nihilo meliores effecti sunt, nec in christianæ religionis officiis ferventiores. Porro si horum offensiones eædem semper sunt, & pondere, ac numero fere æquales; si ad eas vitandas majorem diligentiam non adhibent, validioresque conatus non edunt; si in oratione, aliisque bonis operibus magis assidui non sunt, justa est timendi causa, nec contemnenda, aut improbanda est eorum trepidatio. Verum si eorum lapsus non ita frequentes sunt, non ita continui, sed aliquo temporis intervallo disjuncti; si ingentem moerorem ac tristitiam ipsis adferunt; si suam ipsi miseriam agnoscunt, ac deplorant; si magis caute declinant labendi pericula; si divinam opem oratione, misericordia erga pauperes, aliisque piis operibus sibi conciliare nituntur, bene admodum de ipsis sperandum est; sæpe enim vult Deus per hujusmodi infirmitates in christianæ humilitatis virtute servos suos constabilire, ut tuto in loco ponat gratiæ suæ dona, quibus eos vult statuto tempore cumulare.

Hos igitur bono animo esse jubeat prudens confessarius, eosque peramanter soletur, atque hortetur, ut fortiter pugnent, atque alacriter in via veritatis, & justitiæ progrediantur.

CAPUT VI.

De Contritione.

ARTIC. I.

De principio, & proprietatibus veræ Contritionis.

PRima, & præcipua Poenitentiæ pars in sincera patratorum criminum detestatione sita est, quæ ad intimi doloris vim significandam cordis Contritio a Theologis appellatur; ea enim est, quæ ad firmum, atque efficax vitandi peccata, vitamque emendandi propositum poenitentes adducit, atque ad humilem, & sinceram peccatorum suorum confessionem.

Duplex est ex Tridentini doctrina contritionis species, alia scilicet charitate perfecta, quæ hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum Poenitentiæ suscipiat, modo cum ejus voto conjuncta sit; alia vero imperfecta, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu concipitur; & hæc quidem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ . . . . . quamvis sine sacramento Poenitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiæ impetrandam disponit (a).

Con-

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. de Pœnit. cap. IV.*

Contritio, quæ ad justificationis gratiam per Sacramentum Poenitentiæ assequendum requiritur, non in suspiriis, gemitibus, aliisque externis actibus, sed in intimo cordis dolore sita est; nam ut peccata omnia ex corde prodeunt, ita quoque peccatorum odium, detestatio, atque exsecratio ex corde proficiscatur necesse est.

Supernaturalis præterea sit oportet contritio, nempe ut per gratiam Spiritus Sancti in cordibus nostris excitetur, ejusque motrices caussæ sint veritates a Deo revelatæ, que per fidem creduntur. Sed vera contritio, & conversio cordis ad Deum mirificum opus est Divinæ omnipotentiæ, & multo grandius, quam mortuum revocare ad vitam, vel novum cælum novamque terram creare; quapropter fervidis precibus cum christianæ pietatis & misericordiæ studio, atque exercitatione conjunctis omnipotens Dei gratia imploranda est, ut tantum opus in cordibus nostris perficiat. Veritates autem fidei, quæ in æternis damnatorum suppliciis divinæ justitiæ severitatem, vel in nostræ reparationis mysteriis, in justorum premiis, atque admirabili supernaturalis providentiæ œconomia divinæ bonitatis, & clementiæ thesauros nobis exhibent, attenta meditatione perpendendæ sunt, ut animum valide afficiant, ac præparent ad Dei timorem, atque amorem per divinam gratiam concipiendum. Anne vero fieri potest, ut qui in sævitiis, & libidinibus diu volutarunt, suæ conversionis negocium absolvant, & vere contrito corde ad sacramentum Poenitentiæ accedant, cum in oratione, discussione conscientiæ suæ, in divinarum rerum meditatione breve temporis spatium impenderint, & aliquam legerint, vel in memoriam revocaverint

formulam, per quam contriti cordis ſenſus exprimi ſolent?

Neceſſe quoque eſt, ut contritionis dolor ſit ſummus. Nam quemadmodum Deus O. M. ſummo amore diligendus eſt, ita adverſus peccatum, quod ſummo bono ex diametro opponitur, ſummum odium concipiendum eſt, utpote malorum omnium maximum ſummopere abominandum ac deteſtandum. Idcirco eodem loquendi genere charitatis, & contritionis magnitudo in ſacris literis ſignificatur; de charitate enim dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (a); de contritione vero clamat Dominus per prophetam: *Convertimini ad me in toto corde veſtro* (b). Quis vero ſibi in animum inducat ſummo peccatorum ſuorum dolore eos angi, qui tranquillo, & pacato animo ſcelera ſua enarrant veluti fabulas, vel geſta omnino adiaphora; qui culpam ſuam extenuare nituntur, vel in alios rejiciunt, aliorumque improbitatem cauſantur; qui ſalubres poenitentias refugiunt, & reſpuunt? Profecto qui ſummo ſuorum ſcelerum dolore perculſus eſt, non ſine ingenti animi commotione illa commemorat, de ſe ipſo tantum queritur, indignatione quadam atque iracundia in ſe ipſum exardeſcit, & voluntatis ſuæ pravitatem unice cauſatur, atque ita comparatus eſt animo, ut divinæ Majeſtati ſuis criminibus læſæ vehementer cupiat pro viribus ſatisfacere.

Verus præterea, & ſincerus eſſe nequit contritionis dolor, niſi ſit univerſalis; neque vero ſufficit odiſſe peccata, quæ abſtracta & univerſali quadam idea menti exhibentur; peccatum ſcilicet in genere ſpectatum humanas cupi-

pi-

(a) *Deut. VI. 5.* (b) *Joel. II. 12.*

piditates pellicere, ac delinire non valet, quum nihil per se habeat, nisi foeditatem ac turpitudinem; sed omnino oportet, ut poenitens omnia, quæ perpetravit, mortifera peccata doleat, ac detestetur; omnia, inquam: nam, ut docet Catechismus Romanus (a), *necesse est peccata omnia, quæ admisimus, odisse, ac dolere; ne si quædam tantum doleamus, ficta, & simulata, neque salutaris pœnitentia a nobis suscipiatur. Nam ut a Sancto Jacobo Apostolo dictum est* (b): *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Quoniam autem per Tridentinum Concilium definitum est ad gratiam in sacramento Poenitentiæ recipiendam hominem disponi per contritionem imperfectam, seu attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, & gehennæ, ac poenarum metu conceptam, si hæc quidem voluntatem peccandi excludat, disputant Theologi, utrum ad amoliendam peccandi voluntatem sufficiat servilis poenarum metus, an vero etiam requiratur initium aliquod amoris Dei cum timore conjunctum. Porro quum in hac controversia nihil hactenus ab Ecclesia definitum sit, Alexander vero VII. vetuerit, ne alterutra sententia alicujus theologicæ censuræ, alteriusque injuriæ, aut contumeliæ nota inuratur, donec Sanctæ Sedis judicio lis dirimatur, nihil in hac re statuere volumus.

Verum, quum ubi agitur de vi, atque efficacitate sacramenti, inter diffidentes opiniones, quæ tutior est, semper eligenda sit, ut colligitur ex censura propositionis primæ inter sexaginta quinque ab Innocentio XI. proscriptas die 2 martii 1679.; quum etiam rationi quam ma-

(a) *Cat. Rom. de pœnit. §. 31.* (b) *Jac. II. 10.*

maxime consentaneum sit, ut qui Deo reconciliari cupiens totam ejus legem servare statuit; primum, & maximum ipsius legis mandatum implere nitatur, & liberalem illum timorem probis, & ingenuis filiis dignum concipiat, quo nihil magis timeat, quam ne Dei majestatem lædat ejus legem violando; universos idcirco Poenitentiæ sacramenti ministros hortamur, atque obsecramus in Domino, ut antequam poenitentibus absolutionem impertiant, primum quidem in spem veniæ a divina Misericordia per merita Christi obtinendæ eorum animum erigant; tum, ut docet Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, *ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conentur*, non ob eam tantum caussam, quod peccando thesaurizarunt sibi iram in die iræ, verum etiam quod Dei majestatem, & divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contempserunt, hac ferme ratione eos cohortando: *Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum* (a); nimirum a divina gratia, atque amicitia excidisti; spiritum adoptionis filiorum Dei sempiternæque gloriæ hæreditatem amisisti; tremendam insuper divini Judicis maledictionem & damnationem, & nunquam finitura supplicia tibi conscivisti. Ubi vero nunc esses, & quam desperata esset sors tua, nisi te misericors Deus servasset ad poenitentiam? Præterea *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus Domini Creatoris tui* (b), nec Creatoris modo, verum etiam Redemptoris, quoniam te a servitute diaboli, atque ab æterna morte per acerbissimam Jesu Christi passionem, & mortem in

(a) *Jerem. II. 19.* (b) *Deuter. XXXII. 18.*

in filiorum suorum libertatem te vindicavit, quo fit ut tui juris amplius non sis, sed ejus, qui pretio sui sanguinis te redemit, unde ait Apostolus: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno* (a). Quam multis denique beneficiis pro infinita sua benignitate, & clementia te cumulavit Deus! Tu vero ipsa ejus beneficia, vitam scilicet, & vitæ commoda, corporis vires, animi facultates, & dotes, omnia denique ejus dona per summam impietatem ausus es in ipsum contorquere. *Scito ergo, & vide, quam malum & amarum sit reliquisse te Dominum Deum tuum*.

His, aliisque cohortationibus urgendi sunt poenitentes ad sinceram, & vehementem peccatorum suorum detestationem cum propter æterna, quæ sibi ipsis intulerunt damna, tum maxime propter divinæ Majestatis contemptum, & execrandam injuriam ipsi Deo irrogatam, atque ita Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant (b). Anne vero censeri poterit rem nimis gravem atque arduam a poenitentibus postulari, si moneantur, ut contritionem eliciant, quæ a filiali quoque metu proficiscatur? Sane quum & ipse dolor de peccatis ex timore servili, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ donum Dei sit, & Spiritus Sancti impulsus, ut loquitur Tridentina Synodus (c), præstantius quoque donum roganti largietur Deus, qui dives est in misericordia, & dat omnibus affluenter, & non improperat (d); imo vero, remota jam a poenitentis corde voluntate peccandi, propensiori benignitate tribuet filialis timoris gratiam, cui jam dedit aversari peccatum.

(a) *I. Cor. VI. 19. 20.*
(b) *Conc. Trid. Sess. VI. cap. VI.*
(c) *Sess. XIV. cap. IV.* (d) *Jac. I. 5.*

ARTIC. II.

De emendandæ vitæ propoſito a vera contritione inſeparabili.

VEra contritio iners non eſt, ſed operoſa; nam qui dolore ſummo peccata ſua deplorat, ac deteſtatur, ſtudio flagrat abrumpendi peccatorum vincula, & firmo voluntatis propoſito omnia mortifera peccata, tum ea potiſſimum, quorum ſe reum agnoſcit, perpetuo vitare ſtatuit. Quisquis igitur cor gerit contritum, ſi quas fovit inimicitias, eas ſtatim ponit, & inimicos ſuos in gratiam recipit; ſiquem læſerit, injuriam reparat; ſi damnum cuiquam intulit, illud ſarcire ſtudet; ſi offenſionis & ſcandali occaſionem præbuit, emendatione vitæ optimis virtutum exemplis, ſalutaribus conſiliis, & cohortationibus huic malo mederi nititur; ſi in proxima, aut propinqua peccandi occaſione verſatur, eam illico removet, vel ab ipſa recedit, & omnia procul abigit vitiorum irritamenta; qui autem hæc præſtare negligit, nec vere pœnitens eſt, nec abſolutione donari poteſt.

Firmum porro, ac ſolidum requiritur voluntatis propoſitum: neque enim ſufficit vaga, ambigua, & nutans voluntas non peccandi in poſterum, qualem gerere ſolent, qui ob animi ſui infirmitatem, & inconſtantiam, ob corruptos mores, ob inveteratam peccandi conſuetudinem, & vehementem in quædam peccata inclinationem, & propenſionem, diu ab ipſis abſtinere ſe poſſe diffidunt, quin etiam ſibi perſuaſum habent ſe fore in eadem peccata relapſuros; & hi quidem abſolvendi non ſunt, ſed monendi,

ut

ut ad preces, ad lacrymas, ad poenitentiæ, ac misericordiæ opera confugiant, & in divinæ gratiæ adjutorio spem suam ponant, qua corroborati, & confirmati illas Apostoli voces aliquando usurpare possint: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? .... Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, ... neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei* (a).

Vanum autem, & ludicrum esset propositum, nisi ea complecteretur omnia, quæ ad illud opere implendum omnino requiruntur. Multis laboribus agros exercent coloni, qui volunt ex ipsis fruges percipere; velis, ac remis contendunt nautæ, qui volunt ad optatum portum pervenire; fortiter dimicant milites, qui victoriæ palmam assequi volunt. Ita plane qui vitam suam emendare, ad divinæ legis mandata mores suos componere, & peccata omnia, saltem mortifera, constanter effugere sincere ac firmiter statuit, oportet omnino, ut simul deliberet ea omnia præstare, quæ ad hunc finem assequendum sunt necessaria, tametsi admodum ardua ac difficilia videri possint, maxime si agatur de enervanda, atque amolienda prava aliqua consuetudine, quæ altera quædam natura primævæ jam per peccatum vitiatæ insita, aut adnata merito appellatur.

Mira prorsus est in humanum animum pravæ consuetudinis vis ac potestas; nam I. quidem qui alicui vitio indulgere assueti sunt, nullo non tempore mente revolvunt cogitationes ad illud

(a) *Rom. VIII. 35. 38. 39.*

illud ipſum vitium provocantes; ſic avari de lucro faciundo cogitant; raptores de fraudibus, furtis, ac latrociniis; helluones de comeſſationibus, & compotationibus; impudici de rebus immundis, ac turpibus, quarum imagines diu noctuque, & in ſomniis quoque eorum mentibus illudunt, unde in ſacris literis de hominum genere libidinibus corrupto, quod per diluvium delere Dominus cogitaverat, hæc legimus: *Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore* (a); ubi præcipue notanda eſt vis eorum verborum: *omnis cogitatio intenta ad malum omni tempore*. II. Una cum hiſce rerum imaginibus, ob naturalem idearum nexum, a quo potiſſimum pendet reminiſcentia, ad mentem redeunt perceptæ olim ex pravis actibus voluptates, quæ animum vehementer ad ſimiles actus alliciunt, & pertrahunt. III. Quum ex conſuetudine agitur, temere, & præcipitanter agitur; nam quemadmodum in rebus theoreticis quod verum & certum alias demonſtratum eſt, pro vero, & certo ſemper aſſumitur ſine novo examine, ita quoque in practicis, quod probare, & facere conſuevimus, ſine conſideratione & probamus, & facimus: latent enim in ipſa conſuetudine agendi rationes. IV. Quum primum quis in aliquod crimen labitur, aliquo horrore afficitur, qui reſiduus dici poteſt ſenſus primævæ illius rectitudinis, in qua homo a Deo conditus eſt, poſtea vero ſæviſſimis conſcientiæ morſibus cruciatur; ſed dum peccare pergit, iſtiuſmodi animi permotiones ſenſim extinguuntur, adeo ut tandem in crimina imperturbato animo ruat, & tranquille in ipſis quieſcat. V. Quandiu viget peccandi con-

(1) *Gen. VI. 5.*

consuetudo, mirum in modum augentur vires concupiscentiæ, simulque justo Dei judicio minuuntur divinæ gratiæ auxilia, quo fit, ut qui diuturna peccandi consuetudine devincti sunt, difficillime per veram poenitentiam ad Deum convertantur.

Porro hæc omnia simul juncta componunt lacrymabilem illam catenam, qua voluntatem suam a diabolo constrictam teneri querebatur S. Augustinus: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus* (a). Itaque ad fatalem istam catenam abrumpendam firma & efficaci opus est voluntate magnos conatus eliciendi, naviterque incumbendi illis medicinalis poenitentiæ operibus, de quibus agimus sequenti capite.



CA-

(a) *S. Aug. Conf. lib. VIII. cap. V. 1.*

CAPUT VII.

De Satisfactione.

ARTIC. I.

De operibus pœnitentiæ generatim.

OPera poenitentiæ a Christi Ministro imponenda, & a poenitente humiliter, alacriterque suscipienda tertiam sacramenti Poenitentiæ partem constituunt, quæ *satisfactio* appellatur. Porro de satisfactione hæc statuit Concilium Tridentinum: *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem* (a). Injungenda igitur sunt poenitentiæ opera, quæ & salutaria sint, & poenalia; salutaria quidem ad peccatorem sanandum, poenalia ad puniendum; adeo ut dum curantur animi morbi, ejusque sanitati prospicitur, peccatorum quoque expiationis ratio habeatur. Utrumque autem præstare valent illa poenitentiæ opera, quæ pravos animi affectus sedant, & cupiditates coercent, simulque incommodum, laborem, ac molestiam creant humanæ infirmitati, cujusmodi sunt, quæ hic proponimus quibusvis poenitentibus sive præcipienda, sive suadenda, ac magnopere commendanda.

I. Ut per dies singulos aliquod temporis spatium mane præsertim ac vespere orationi tribuant; orationi, inquam, non labiorum tantum, sed & mentis, & cordis, nempe divinarum, æternarumque rerum meditationi cum piis cordis

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. c. VIII.*

dis affectibus, gemitibusque conjunctæ; sic enim a terrenis, & fluxis rebus ad cælestia animum erigent; sic adversus mundi illecebras, adversus pravas cupiditates, adversus diaboli insidias armati incedent *lorica fidei*, ut loquitur Apostolus, *& galea salutis*, *& gladio spiritus* (a).

II. Ut diu noctuque ad Deum assurgant crebris aspirationibus ab intimo corde profectis, quas jaculatorias passim vocant, seu cum Augustino *fervidas preces raptim jaculatas* (b). Familiarissima erat apud priscos fideles Davidica illa oratio: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina* (c). His vocibus resonabant carceres, in quibus Christi Martyres vincti detinebantur; his quoque vastæ solitudines, quas innumeri Christi servi poenitentiæ causa incolebant. His etiam quotidie utitur Ecclesia, ut initio cujusque horæ canonicæ divinam opem sibi concilier. Innumeras alias preces breves quidem, sed vividissimas, nobis suppeditant Davidici psalmi, præcipue vero Psalmus L., in quo Regius Psaltes peccata sua deplorat, & veniam obnixe flagitat. His addi possunt voces illæ hominis leprosi fiduciæ plenæ: *Domine, si vis, potes me mundare* (d); vel cæci: *Domine, ut videam* (e); vel discipulorum in mari periclitantium: *Domine, salva nos, perimus* (f). Præ omnibus autem crebro usurpare juverit precationes, quæ habentur in mirifica orandi formula ab ipso Domino nostro Jesu Christo nobis tradita.

III. Ut sensus suos caute custodiant, fugiantque mundi pompas, & vitiorum irritamenta, Chri-

(a) *I. Thess. V. 8. Ephes. VI. 17.* (b) *S. [illegible]g. ad Probam Ep. CXXI.* (c) *Ps. LXIX. 2.*
(d) *Matth. VIII. 2.* (e) *Luc. XVIII. 41.*
(f) *Matth. VIII. 25.*

Christi autem crucem amplectantur, christianæ scilicet mortificationis exercitationem, qua neglecta nemo poterit a vitiis emergere, & pravas abrumpere consuetudines. Non omnibus datum est, ut magnis cruciatibus, & afflictationibus corpus suum crucifigant cum vitiis, & concupiscentiis, sed omnes adducendi sunt, ut adversa omnia, omnesque hujus vitæ ærumnas in expiationem peccatorum suorum patienter perferant; ut parce, temperanter, ac sobrie vivant, & ab innoxiis quoque ac licitis sensuum oblectamentis se se contineant; propriæ suæ voluntatis inclinationibus frequentissime obsistant; hoc enim poenitentiæ genus est saluberrimæ, Deoque acceptissimæ.

IV. Ut tentationes diaboli a se arceant constanti fuga otiositatis, quæ multæ malitiæ magistra est (a). Si autem aliqua insurgat tentatio, maxime vero si ea sit de rebus turpibus, immundis, atque obscoenis, ne minimum quidem cum ea disputent, aut contendant, neque in affectus inquirant, qui in corde prodeunt, sed statim mentem alio convertant, & bonam aliquam cogitationem in ea excitent. Initio enim quælibet tentatio parva scintilla est, quæ facile restinguitur, sed illico in magnum succrescit incendium, quod omnia devorat, antequam compescatur.

V. Ut bis quotidie, vel saltem ad vesperam examen conscientiæ ineant, & quidquid adversus Dei voluntatem ac legem actum, dictum, cogitatum, vel prætermissum fuisse agnoverint, sincere detestentur, ac doleant, & ex animo emendationem firmiter statuant. Quotidiana hæc conscientiæ discussio ab omnibus spiritualis vi-

(a) *Eccli. XXXIII. 29.*

vitæ magiſtris magnopere commendatur, quin etiam ab ethnicis ipſis Philoſophis Pythagora, Seneca, Plutarcho, Epicteto, & aliis proponitur velut mirifice utilis ad cohibendas cupiditates, quæ in animo dominantur, ad evellenda pullulantia vitia, antequam inoleſcant, ad componendos mores, ad vitam recte ſapienterque inſtituendam.

VI. Ut nunquam prætermittant chriſtianam exercitationem, vulgo *Eſercizio del Criſtiano*; hæc enim praxis utiliſſima eſt maximeque neceſſaria, ut divinæ gratiæ auxilia nobis concilientur, omneſque actiones noſtræ ad Deum dirigantur.

VII. Ut in ſanctificatione dierum feſtorum pietatem imitentur priſcorum fidelium, qui in orationibus, & divinis laudibus, in celebratione divinorum myſteriorum, quorum participes efficiebantur per communionem euchariſticam, in excipiendis chriſtianis inſtitutionibus, in audiendo Dei verbo, aliiſque religionis, & miſericordiæ operibus totum pene dominicum, aut feſtum diem inſumebant, ſicque tam validis divinæ gratiæ præſidiis communiebantur, ut reliquos etiam dies ſancte percurrerent, ſemperque parati eſſent in acerbiſſimis tormentis Chriſtum confiteri.

VIII. Ut profeſtis quoque diebus intereſſe nitantur ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, pioque animi affectu Jeſu Chriſti paſſionem, & mortem meditentur, ſecum reputent, quæ ſit hujus Sacrificii victima, a quibus, pro quibus, quas ob cauſas Deo immoletur. O quam multis cumulantur cæleſtibus donis religioſe adſtantes huic ſacrificio, ex quo, veluti ex uberrimo fonte, prodeunt divinæ benedictiones!

Ut

IX. Ut in operibus misericordiæ sint assidui, suisque commodis, voluntatibus, & vanitatibus semper aliquid subtrahant, ut pauperibus subveniant; ut crebro accedant ad sacramentum Poenitentiæ, tum etiam ad sacram Synaxin, si ita visum fuerit spirituali moderatori; si vero in aliquod grave peccatum pro humana infirmitate lapsi fuerint, illud illico detestentur, & per confessionem cum intimo cordis dolore conjunctam quantocyus delere nitantur.

X. Ut divinas Scripturas, si id præstare valent, assidue, attenteque perlegant; per ipsas scilicet de nostræ salutis negocio Deus nobiscum agit veluti per epistolas, quas ex ea civitate accipimus, unde peregrinamur *; nec pigeat asceticos libros quotidie pervolvere a piis doctisque hominibus editos, quorum lectio veritatis lumine mentem collustrat, & christianæ virtutis studio animum incendit; tum vero etiam acta Sanctorum ex sinceris, & certis ecclesiasticæ historiæ monumentis excerpta, quæ evangelicæ doctrinæ praxim nobis commonstrant *.

XI. Ut assidui sint piis exercitationibus, quæ per plures continuos dies passim habentur in Ecclesiis Parochialibus; quandoque etiam seorsim a turba, ac terrenarum rerum strepitu æternæ salutis negocio unice dent operam in aliqua ex iis domibus, quæ in Dioecesi nostra patent ad spirituales virorum secessus.

AR-

* *Sacrarum Scripturarum cum Veteris, tum Novi Testamenti libri cum accuratissima Italica versione, & eruditissimis notis a clarissimo, & doctissimo viro Antonio M. Martini Archiep. Florentino arcto amicitiæ fœdere Nobis conjunctissimo Aug. Taurinorum recens editi sunt.*

* *Duplex eorum collectio edita est Romæ ab eruditissimo viro Carolo Massino Congr. S. Philippi Nerii Sacerdote:* Raccolta di Vite de' Santi. 26. vol. 12. Roma 1767. 1781. presso i Pagliarini.

ARTIC. II.

De prudentia a Sacerdote adhibenda in praecipiendis peculiaribus pœnitentiæ operibus.

DOminus, ac Redemptor noster per salutaria novæ legis præcepta singulis quibusque corrupti hominis vitiis, *velut cœlestis medicus, obviantia adhibuit medicamenta*, ut loquitur Magnus Gregorius (a), *quum lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præceperit humilitatem*. Similiter Christi minister, qui spiritualis medici officium gerit, studiose, diligenterque curabit cuique animarum morbo, præter communia, quæ superiori capite proposuimus, spiritualia remedia, peculiares quasdam medicinas aptare, quæ ejus curationi opportuniores censentur, ac validiores.

Itaque iracundis ex. gr. præcipiat, ut in quovis negocio suscipiendo adversus ea omnia, quæ occurrere possunt, gravia ac molesta, animum suum præparent, ut quandiu ira effervescit, nihil agant, nihil loquantur, nihil statuant; ut inquietos homines, audaces, inobsequentes, pervicaces patienter ferant, leniterque, atque humaniter cum ipsis agant, ac secum reputent se quoque aliis aliquando graves, atque incommodos esse, adeoque mutua inter homines opus esse patientia, quo spectat illud Apostoli monitum: *Alter alterius onera portate* (b).

Superbis, ut serio considerent, quam Deo, & hominibus odibilis sit superbia; quam stulte intumescant, quandoquidem gratuita Dei dona

 sunt

(a) *S. Greg. M. Hom. XXXII. in Evang.*
(b) *Gal. VI. 2.*

ſunt, de quibus gloriantur, de ſuo autem nihil habent, niſi mendacium, & peccatum; christianam idcirco modeſtiam atque humilitatem vultu, geſtu, inceſſu, & corporis cultu, atque ornatu præſeferant, neminem deſpiciant, & debitum honorem cuique exhibeant, & prudentum judicio facile acquieſcant.

Odia, vel inimicitias foventibus, ut pro iis, quos averſantur, vel ſibi infenſos putant, frequenter orent, & peculiaria benevolentiæ argumenta ipſis exhibeant, & data occaſione benefaciant. Invidis autem, ut gratias Deo ex animo perſolvant ob ea, quibus alios cumulat beneficia, & ampliora bona ipſis adprecentur.

Detractoribus, ut præſtita reparatione detrimenti, quod alienæ famæ intulerunt, quotidie inſtaurent propoſitum neminem carpendi, ſed de omnibus honorifice loquendi.

Avaris, ut hujus vitæ brevitatem, fluxam terrenarum rerum naturam, & cæleſtium bonorum perennitatem aliquo temporis ſpatio meditentur, piiſque operibus, atque effuſa in pauperes miſericordia nunquam perituros theſauros ſibi in cælis recondant.

Raptoribus, ut præter debitam reſtitutionem, ſeu damni compenſationem eleemoſynas pauperibus erogent.

Voluptuoſis, & impudicis, ut ſenſus coerceant, & jejuniis, vigiliis, aſſiduis laboribus, corporis afflictationibus concupiſcentias carnis enervent; ut noviſſima mente revolvant, & apud pium, & doctum confeſſarium peccata ſua frequenter confiteantur.

Ebrioſis, ut vinum diluant, nec niſi parce, ac ſobrie eo utantur, ganeones autem cavendo vitent, & popinas declinent.

Iner-

Inertibus & otiosis, ut operosum aliquod vitæ genus amplectantur; orationi, piorum librorum lectioni, sanctissimæ Eucharistiæ adorationi aliquod temporis spatium quotidie tribuant, aliisque piis operibus sedulo incumbant, ne cum inutilibus servis projiciantur in tenebras exteriores.

Violatoribus festorum dierum, si lucri caussa servilia opera obierint, ut eorum pretium pauperibus distribuant: si vero ludis, choreis, crapulis, vel inerti, ac desidioso otio tempus Deo sacrum contriverint, per aliquos dies festos omnibus, quæ in Paroecia celebrantur, divinis officiis pie, ac devote intersint, vel etiam per aliquos profestos dies sacrosancto Missæ Sacrificio adstare non prætermittant.

Evellendis ex animo vitiis plurimum juvat aliquot oppositarum virtutum actus certo numero quotidie eliciendos præscribere: iracundo scilicet tot actus lenitatis, & patientiæ; superbo humilitatis; avaro largitatis; ei qui ventri servit, temperantiæ, atque abstinentiæ. Ut autem hoc remedium efficacius fiat, jubendus erit poenitens, ut in vespertino examine pervideat, an hanc officii partem impleverit; si vero in aliquo se defecisse noverit, doleat, & statuat postero die accuratiorem diligentiam in hac re adhibere.

Inter confitentium vitia aliquod semper est præcipuum, ac dominans, ex quo cætera, veluti arboris rami, ex stipite prodeunt. Frustra autem cæduntur rami, nisi truncus ipse ab imis radicibus eruatur. Diligenter ergo inquirendum est in hoc vitium, quod quidem haud difficulter internosci poterit, si peccatorum occasiones, ac peristases attente considerentur: tum vero

etiam si interrogetur poenitens, cur, quem ad finem, cujus rei causa in quædam peccatorum genera frequentius lapsus fuerit. Detecta autem prava cupiditate, quæ magis viget in animo, in ipsam dirigenda sunt salutaria, & congrua remedia, ut adjuvante divina gratia penitus evellatur, aut certe supprimatur & compescatur.

Perutile etiam erit ad pravas consuetudines emendandas aliquas imponere poenitentias, quas conditionatas vocant ex. gr. jurare assuetis, aut mentiri, aut turpia loqui, aut aliis irridere, vel obtrectare, ut quoties in ejusmodi noxas lapsi fuerint, os terræ admoveant, Deum de genu adorent, certas preces persolvant, & veniam implorent; iis, qui vino, epulis, aut ludis indulgent, ut postero die jejunent, vino temperent, aliquot nummos pauperibus erogent.

In operibus satisfactionis imponendis justitiam, prudentiam, pietatemque adhibebit Sacerdos, & pro gravitate, ac numero peccatorum, pro poenitentium statu, conditione, ætate, ac sexu salutares, & convenientes poenas infligat, ne connivendo, & indulgentius cum poenitentibus agendo pro gravissimis delictis poenas levissimas injungat, seque alienorum criminum participem efficiat (a). Canones idcirco poenitentiales consulat, & videat, quemadmodum pro modo culpæ imponenda est satisfactio (b). Quamquam enim eorum vigor pro hodierna Ecclesiæ disciplina valde remissus, atque imminutus est, lucem tamen maximam adferunt sacris Judicibus eorum sanctiones, juvabitque etiam poenitentibus graviorum scelerum sibi consciis eas commemorare, ut mitiores

res

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. de poenit. c. VIII.*
(b) *S. Car Instr. Conf.*

res poenas alacriter suscipiant, fideliterqe impleant, & aliis quoque christianæ pietatis operibus ultro, ac sponte divinæ justitiæ satisfacere nitantur.

Putant nonnulli Jubilæi tempore, vel quoties in promptu est occasio plenarias indulgentias lucrandi, mitissimas decerni posse poenitentias gravissimorum criminum reis, qui parati sunt accurate præstare quidquid per Apostolicas literas præscriptum est ad indulgentiam assequendam. Sed ista agendi ratio & Tridentini Concilii decretis, & menti Summorum Pontificum omnino adversatur. Nam Concilium universim præcipit, ut *Sacerdotes Domini pro qualitate criminum, & penitentium facultate salutares, & congruentes pœnitentias injungant* (a), nec certe excipit tempus, quo Jubilæum promulgatum est, vel alia exhibetur opportunitas plenariam indulgentiam assequendi.

Docet præterea ipsum Concilium salutares, & congruas satisfactiones quammaxime utiles ac necessarias esse poenitentibus: *Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent, cautioresque, & vigilantes in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt .... Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, compatimur, & conglorificabimur* (b). Jam vero si hisce poenitentiæ operibus indulgentiarum gratia poenitentes eximerentur, validioribus ad vitæ

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. c. VIII.*
(b) *Conc. Trid. ibid.*

tæ emendationem præsidiis, atque adjumentis carerent; neque enim pauci illi, & leves pietatis ac religionis actus, quos edere solent fideles, ut indulgentiarum participes fiant, vim habent amoliendi animi vitia, revocandi a peccatis, coercendi cupiditates, pravæ consuetudinis laqueos dissolvendi, & Christi Domini pro nobis satisfacientis imaginem in nobis effingendi, quæ arrha, & pignus sit æternæ glorificationis.

Tridentini doctrinae cohæret Summorum Pontificum in largiendis indulgentiis consilium, ac voluntas; nam in suis Literis Apostolicis testantur Divinum hocce, amplissimumque donum concedi *vere pœnitentibus*, quibus verbis intelligi datur, inquit Cardinalis Cajetanus, *indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui soli sunt vere pœnitentes* (a). Idcirco etiam in ipso ritu impertiendi populo Apostolicam Benedictionem, & plenariam indulgentiam, hanc precationis formulam adhiberi volunt: *Indulgentiam, absolutionem .... Spatium veræ, & fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, emendationem vitæ, & perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus*. Hinc vero colligi potest, ut ait Cardinalis Baronius, *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus* (b).

Denique Ven. Cardinalis Bellarminus, postquam veram Ecclesiæ disciplinam circa Indulgen-

(a) *Card. Cajet. Tract. X. de suscipientibus Indulg. quæst. 1.*
(b) *Ad An. 1073. num. 71.*

gentias exposuit, hæc habet: *Et ideo prudentes Christiani sic accipiunt Pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere, ac pro suis peccatis Domino satisfacere* (a). Liquet ergo Indulgentiarum caussa deserendam non esse Ecclesiæ disciplinam circa salutares, & convenientes satisfactiones poenitentibus imponendas.

Cæterum meminisse oportet sacrum Poenitentiæ tribunal non esse acerbæ, atque immitis severitatis forum, sed charitatis, benignitatis, & misericordiæ, adeoque excipiendos, atque instruendos esse poenitentes in spiritu lenitatis, ut monet Apostolus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (b); nos autem ejus esse ministros, de quo scriptum est: *Superexaltat autem misericordia judicium* (c); tum illud etiam: *miserationes ejus super omnia opera ejus* (d).

Sane qui corporibus medentur, invitis quoque, & reluctantibus ferrum, atque ignem admovent, vulnera dilatant, tumores secant, sinuosa ulcera aperiunt, saniem exprimunt, putrescentes carnes inurunt, neque ægri clamoribus, gemitibus, & ululatibus commoventur, ut ejus saluti consulant; sed animarum medicus curare nequit nolentem, quapropter ejus officii est, spirituali morbo laborantem magnopere hortari, ut curari velit, tum blandis sermonibus adducere, ut aptis uti velit remediis ad salutem assequendam. Imitandus est bonus ille Samaritanus, qui hominem videns secus

(a) *Card. Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. XII. §. Ad tertium.* (b) *Gal. VI. 1.*
(c) *Jac. II. 13.* (d) *Psal. CXLIV. 9.*

cus viam jacentem vulneribus confossum, ac semivivum, misericordia motus, vinum, & oleum in ejus vulnera infudit; nimirum correptionis austeritas mitiganda, & temperanda est oleo commiserationis, & benignitatis. *Animarum rector*, inquit Gregorius Magnus, *infundit vulneribus vinum, & oleum, ut scilicet per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur .... Miscenda ergo est lenitas cum severitate, & faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur* (a). Immo vero præstat plus olei, quam vini, plus lenitatis, quam severitatis miscere; nam *etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, non ne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus* (b)?

Mitius etiam agendum est cum poenitentibus, qui ante confessionem divinæ justitiæ satisfacere adnisi sunt, vel vehementioris contritionis indubia argumenta exhibent, vel magnis calamitatibus, atque ærumnis premuntur, vel corporis infirmitatibus, animique angoribus excruciantur, modo hæc mala patienter perferant in expiationem peccatorum suorum. Certum autem tempus cuique poenitentiæ operi constituendum est, ne perpetuum onus poenitenti imponatur, nec multa operum genera præscribenda sunt, ne ejus memoria nimium gravetur.

Ex

(a) *S. Greg. M. in Pastor. P. II. c. IV.*
(b) *Hom. 43. Operis imperf. in c. XXXIII. S. Matth inter opera S. Chrysost. circa med.*

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile quisque intelligit quam male in sui officii munere se gereret confessarius, si eadem fere satisfactionis opera omnibus imponeret, aliquot scilicet preces, quæ deficiente mentis attentione, & pio cordis affectu, ut plerumque contingit, nihil sunt aliud nisi labiorum obsequia; vel ea christianæ religionis officia injungeret, quæ jam divina, vel ecclesiastica lege omnibus præscripta sunt, vel ea bonorum operum genera, quæ cum poenitentis conditione, & statu minime congruunt, ut voluntarias corporis afflictationes infirmis, gravia jejunia operariis, & laboriosas artes exercentibus, peregrinationes mulierculis, vel denique ea præciperet, quæ apta non sunt prævalidas confitentium cupiditates coercere, vel gravioribus animi morbis mederi. Is certe & aliis, & sibi ipsi male consuleret, is suam, & aliorum salutem in magnum periculum adduceret.



CAPUT VIII.

De Absolutione.

ARTIC. I.

De recto usu potestatis Clavium.

QUum Dominus noster Jesus Christus, absoluto per mortem suam humanæ reparationis opere plenitudinem misericordiæ suæ ostendere volens, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Sacramentum Poenitentiæ instituit, emisso in Discipulos suos oris sui spiritu: *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* (a); quibus verbis duplicem potestatem novi foederis Sacerdotibus contulit, alteram quidem ad solvenda, alteram vero ad retinenda, seu non dimittenda peccata, quemadmodum ante passionem suam ipsis discipulis dixerat: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo* (b); speciatim autem Apostolorum Principi: *Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis* (c). Et sane utramque potestatem in Sacerdotibus agnoverunt Ecclesiæ Patres, ut animadvertit Concilium Tridentinum; *Claves Sa-*

(a) *Jo. XX. 22. 23.*
(b) *Matth. XVIII. 18.*
(c) *Matth. XVI. 19.*

Sacerdotibus non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent (a); meritoque ipsum Concilium anathemate eos configit, qui solvendi tantummodo potestatem Ecclesiæ traditam fuisse contendunt: *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum .... anathema sit* (b).

Porro duplex ista potestas nobis data est, ut ea utamur, non temere, & pro arbitrio nostro, sed considerate, circumspecte, & juxta Dei voluntatem ac legem, nec quasi Domini, sed *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (c), ne saluberrimum hoc divinæ gratiæ munus in Dei contemptum, & animarum perniciem vitio nostro convertatur. Curandum igitur quam maxime est, ut in tantæ rei administratione fideles inveniamur, quemadmodum monet Apostolus ad Corinthios scribens: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (d); quibus verbis innuere videtur inter multos dispensatores perpaucos futuros esse, qui fideles appellari mereantur.

Dolebat vehementer, & apud populum suum graviter querebatur clarissimus Carthaginensium Episcopus, & gloriosus Christi Martyr Cyprianus, quod plures Sacerdotes intempestiva, & præpropera erga lapsos clementia reconciliationis gratiam ipsis largiebantur, qui satis certa veræ, & sinceræ pœnitentiæ argumenta nondum exhibuerant: *Emersit, fratres cha-*

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. ca. VIII.*
(b) *Idem cap. XIV. Can. XV.*
(c) *I. Petri IV. 10.* (d) *I. Cor. IV. 1. 2.*

charissimi, novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura .... Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis, & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur .... Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? ..... Hoc sunt hujusmodi lapsis, quod grando frugibus; quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens vastitas; quod navigiis sæva tempestas (a).

Hos animi sui sensus exposuerat S. Martyr Romano Clero, qui ejus doctrinæ consentiens, ipsius zelum pro animarum salute, & christianæ disciplinæ custodia ita commendat, corroborat, & confirmat: *Tu tamen, frater, numquam pro tua caritate desistas lapsorum animos temperare, & errantibus veritatis præstare medicinam, licet animus ægrorum respuere soleat medentium industriam .... Certi sumus, quod spatio productioris temporis ..... amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam* (b).

Agebatur eo tempore de iis, qui tormentorum metu perculsi, vel acerbissimis cruciatibus victi semel tantum ore tenus Christum negaverant, vel idolis immolaverant, vel ipsis thus adoleverant; nunc vero de iis agitur, qui licet Christum ore confiteantur, operibus tamen, non semel, sed centies fortasse negarunt, qui

(a) *S. Cypr. de lapsis.*
(b) *Inter opera S. Cypr. Epist. XXX. juxta edit. Parisiens. 1666.*

qui non persecutionis furore, aut tormentorum vi compulsi, sed ultro libenterque ex perversitate animi, & prava voluntatis inclinatione divinam legem contempserunt, qui suis cupiditatibus litarunt, qui suas, aliorumque animas immolarunt dæmoniis; qui in voluptatibus, & libidinibus volutantur, & apta suis vitiis remedia adhibere nolunt, nec vitare eorum irritamenta. An non igitur potiori jure ementita, & falsa habenda est eorum poenitentia? An non magis reprehendenda intempestiva illa indulgentia, qua ipsis tam facile impenditur absolutio, antequam satis probatam fecerint suæ poenitentiæ sinceritatem? Et quanta porro hinc existit morum corruptela! quanta vitiorum lues! quanta animarum pernicies!

Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. celebratum anno 1139., in quo mille fere Patres convenerant, Presbyteros monet, ut non patiantur fidelium animas decipi fallaci poenitentiæ specie, qua nihil est in Ecclesia magis periculosum & noxium: *Inter cætera unum est quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam: falsa scilicet pœnitentia. Idcirco Fratres nostros, & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur* (a).

S. Gregorius VII. ab imperitia, & negligentia Sacerdotum, qui Sacramenta populo ministrant, inter innumera, quæ in Ecclesiam exundant, mala, falsæ potissimum poenitentiæ consuetudinem repetit: *Ex imperitia & negligentia Sacerdotum, quasi ex pestifera radice innumera mala exorta sunt, adeo ut usque ad hæc no-*

(a) *Concil. Later. II. can. XXII. relato in cap.* Fratres *de pœnit. dist. V.*

nostra tempora inter cætera, quæ male pullulant vitia, falsæ nihilominus pœnitentiæ consuetudo invaluerit (a).

S. Thomas a Villanova tam grande malum amarissime deplorat his verbis: *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio?... Promittunt pacem quibus non est pax, & veniam quibus æterna damnatio parata est.... Sic animas mortuas & securas a suis pedibus mittunt, tanto miseriores, quanto securiores. Vulnera liniunt, vermen conscientiæ extinguunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt; qui si timorem populo incuterent, forsitan illum a vitiis revocassent. Cui comparabimus adulatores istos, aut cui assimilabimus eos* (b)?

Proposito autem exemplo Lazari, qui prius a Christo suscitatus est, deinde Apostolorum opera a vinculis expeditus, docet non antea a Sacerdotibus solvendos esse fideles, quam a Christo per donum veræ poenitentiæ a peccatorum sepulcro, in quo jacebant, revocati fuerint. *Non suscitat a sepulcro medicus, sed Deus; sed quem suscitat Deus, hunc solvit medicus. Prius ergo vadat, & concubinam a domo pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita solvat; offenso fratri reconcilietur, & veniam petat; & tunc ad confessarium redeat, & absolvatur. Hic rectus est ordo, hic in Lazari uscitatione a Domino servatus est. Hunc ordinem*

(a) *S. Gregor. VII. lib. VII. cap. 10.*
(b) *S. Thom. a Villan. serm. habito fer. 6. post Dom. IV. Quadrag.*

nem ne transgrediaris. O medice, cur fœtentem solvis? Cur indigno veniam promittis? Cur cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? Duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi, absolvendi scilicet, & ligandi; & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis. Una tantum clave, neque integra quidem uteris, sed dimidiata. Hinc lamentabiles Jeremiæ voces usurpans: *Heu heu*, inquit, ventrem meum *doleo*, ventrem meum doleo (a). *In domo Dei horrendum vidi: Pastores Domini sui oves jugulantes, medicos populi sui ægrotos occidentes: judices turpibus blandientes . . . . . Cæcos gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc? Hi sunt prophetæ mendaces, in quos Dominus per prophetam invehitur dicens:* eo quod deceperint populum meum dicentes: Pax & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis (b).

Denique hujusmodi animarum ductoribus extremi judicii rigorem sic denunciat: *O miseri animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores! Quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis jugulastis?*

S. Carolus agens de neganda, aut differenda indignis absolutione affirmare non dubitat ob sacerdotum in hac re inconsiderantiam, & negligentiam potissimum contingere, *ut multi diuturno tempore in peccandi consuetudine perseverent: ut in plerisque artibus, & professionibus innumeræ corruptelæ, & gravissima vitia passim vigeant non sine ingenti animarum exitio* (c).

(a) *Jer. IV 19.* (b) *Ezech. XIII. 10.*
(c) *S. Carolus Monita ad Confessarios.*

Cardinalis Federicus Borromæus, qui S. Caroli vestigia summa cum laude persecutus est, triplici sermone parænetico confessarios insectatur, qui ob inscitiam, inconsiderantiam, vel ignaviam quibuscumque vel indignis præcipitanter ac temere sacramentalem absolutionem largiuntur, & istiusmodi agendi ratione non æternæ animarum saluti, sed terrenis suis utilitatibus student, & quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Illustre autem exemplum ipsis proponit S. Raymundi de Pennafort, qui quum potentissimo Regi a confessionibus esset, nullis precibus, & blanditiis adduci potuit, ut ipsi in peccandi occasione voluntario versanti absolutionis beneficium impertiret, & maluit Regem deserere, atque ab insula Baleari majori, in qua apud ipsum degebat, se se proripere, quam a sanctissimo officii sui munere declinare. Quoniam vero nullo sibi concessum erat uti navigio, strato super aquas pallio, ejus ope tractum maris centum sexaginta milliarium ad oram usque Barcinonensem sex horis confecit, & noctu suum coenobium januis claussis ingressus est, quo quidem prodigio sacerdotalem sancti viri constantiam Deus probavit, ac mirifice commendavit.

Venerabilis Cardinalis Bellarminus sic stilum acuit adversus Sacerdotes, qui nimia facilitate absolvendi a peccatis facilitatem peccandi inducunt, & suas, aliorumque animas miserrime perdunt: *Illi se ministros, & dispensatores non agnoscunt, qui, quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manum imponunt, & tam contritos, quam non contritos, tam plene, & perfecte confitentes, quam peccata sua quadam confusa generalitate involventes,*

tam

tam satisfacere paratos, quam non paratos, quasi propria potestate, & auctoritate absolvunt. Isti sua imperitia, & superbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset etiam tanta facilitas absolvendi. Veniunt homines onusti peccatis, & qui millies in eadem ceciderunt, & veniunt sæpe sine ullo signo doloris, vel pridie, vel ipso die summæ celebritatis; & statim absolvi, & ad sanctorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos judices inconsiderati, dispensatores infideles omnibus manum imponimus, omnibus dicimus: Ego te absolvo; vade in pace. Sed væ vobis, cum Dominus rationem ponet cum servis suis. Servi sumus, dispensatores sumus, non Domini sumus. Causam Dei, non nostram agimus; offensas Dei, non nostras remittimus (a). Ob hanc caussam vir piissimus, & doctissimus male admodum cum S. Joanne Chrysostomo ominatur de Sacerdotibus, quorum caussa tam multæ animæ pereunt, & tremendam illam ipsius sententiam usurpat: *Non temere dico, sed ut affectus sum, ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant; sed multo plures qui pereant. Unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione possit æstimari.*

Piget alios commemorare scriptores pietatis, & doctrinæ laude clarissimos, qui tantum malum deplorant; juvat tamen animadvertere unam eamdemque esse eorum omnium sententiam, funestissimas, quæ in populo christiano grassantur, morum corruptelas ab immoderata confessariorum in erogandis absolutionibus facilitate, atque indulgentia prodire; neminem au-

(a) *Ven. Card. Bell. Conc. 8. Dom. IV. Advent.*

autem inveniri, qui nimiæ eorum severitati tantum malum tribuant, quod quidem mirandum non est; nam si qui sint vel rigidioris doctrinæ, vel nimis anxiæ, & meticulosæ conscientiæ Sacerdotes, qui ad se accedentes excrucient, vel plus justo detineant, caute ab omnibus vitantur, vel cito deseruntur; contra vero plurimi ad eos confluunt, qui confitentium vitiis blandiuntur, qui non explorant præparationem cordis ad sacramentum Poenitentiæ suscipiendum; qui non inquirunt in peccandi consuetudines, non in peccatorum occasiones, & caussas, vel in peristases, ex quibus pendet eorum gravitas, & species; non in neglectum officiorum, quæ pro sui status ratione cuique incumbunt; audita autem confessione, qualiscumque ea sit, nihil ultra sciscitantur, nec monita salutis confitentibus tribuunt, sed levissima, & plane incongrua poenitentia imposita eos citissime absolutos dimittunt.

Istiusmodi Poenitentiæ sacramenti ministri, quos strenuos in vinea Domini operarios ignarum vulgus prædicat, redeuntibus potissimum celebrioribus festis ingenti virorum, aut mulierum confiteri volentium multitudine circumstipati cernuntur; nec mirum; nam & in foro rerum venalium, siquis sit, qui alicujus generis mercem viliori pretio vendat, innumeros ad se trahit emptores, ut animadvertit S. Bernardinus Senensis: *Occurrit in confessione, sicut in mercatoribus vendentibus pannos ejusdem bonitatis, conditionis, & collationis, & unus vendet pannum suum pro minori pretio, quam alter; certe ille mercator habebit majorem concursum, qui vendet minori pretio, quam qui vendet majori; ita hodie accidit in confessione;*

&

. . . . . . *& sic fit mercatura de pœnitentiis, & sic peccatores decipiuntur, & mittuntur ad inferos* (a). Et sane hinc oritur perpetuus itus & reditus a peccato ad confessionem, a confessione ad peccatum; hinc tam rara vitæ, morumque emendatio post innumeras confessiones; hinc incredibilis animarum multitudo in inferorum supplicia pertrahitur, ut discipulæ suæ in visu testata est S. Theresia, adeo ut merito illud Prophetæ usurpare liceat: *Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino* (b). Caute igitur incedendum est in hujus Sacramenti administratione, eæque omnino servandæ sunt regulæ, quas infra proponimus.

ARTIC. II.

Quibus deneganda, vel differenda sit absolutio.

QUoniam poenitentis contritio ex Tridentini doctrina pars est necessaria, & *quasi materia* sacramenti Pœnitentiæ (c), liquet profecto ab hujus sacramenti Ministro iis denegandam esse absolutionem, quos ipse noverit esse contritionis expertes; reus quippe evaderet gravis sacrilegii, si sciens & volens irritam atque inanem absolutionem impenderet, & Sacramentum conficere auderet sine materia divinitus constituta. Quare Rituale Romanum Conciliorum sanctionibus, & Patrum doctrinæ inhærens Sacerdotem monet, *ne absolvat eos, qui*

(a) *S. Bernardin. Senen. tom. III. fer. III post. V. Dom. Quadr. serm XXXIV.* (b) *Isa. V. 14.*
(c) *Concil. Trident. Sess. XIV. ca. 3.*

qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant (a).

Porro *nulla exhibent ſigna doloris*, qui audacter, irreverenter, & perfricta fronte, vel immodeſto, atque inverecundo corporis ornatu & cultu ad ſacrum tribunal accedunt, & magis Phariſæi arrogantiam ac ſuperbiam, quam Publicani in templo orantis humilitatem & poenitentiam præ ſe ferunt; qui ſcelera ſua imperturbato animo recitant, quaſi jocoſas, vel adiaphoras fabulas; qui admiſſas culpas inter confitendum excuſare & extenuare nituntur, vel etiam in alios transferre; qui aliqua crimina ſtudioſe celant, quæ poſtea Confeſſarii eorum conſcientias excutientis ſolertia eruuntur; qui Sacerdotis monita & præcepta impatienter & faſtidioſe audiunt, & ſalutaria poenitentiæ opera ſibi impoſita, licet moderata ac facilia, reſpuunt; & renuunt ea implere, quæ ad vitanda peccata, vitamque recte inſtituendam neceſſaria ſunt. Iſti quidem ad recipiendam Sacramenti gratiam cenſeri non poſſunt rite comparati, ideoque ſine abſolutione dimittendi ſunt.

Nec ſane ulla manet ſpes veniæ iis, qui *odia & inimicitias nolunt deponere*, quum dixerit Dominus: *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra* (b): tum illud

(a) *Ritual. Rom. de Sacram. Pœnit.*
(b) *Matth. VI. 15.*

illud etiam: *Dimittite, ſiquid habetis adverſus aliquem..... Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra* (a). Huc quoque ſpectat parabola de iniquo ſervo, qui quum magnam a Domino ſuo aſſecutus fuiſſet miſericordiam, immitis atque immiſericors fuit erga conſervum ſuum, a quo niſus eſt pecuniam ſibi debitam vi extorquere, unde ab irato Domino traditus eſt tortoribus acriter excruciandus, donec redderet univerſum debitum, cui quidem narrationi hæc addit Salvator noſter: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis, unuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris* (b). An vero quiſpiam cenſendus erit injurias de corde ſuo condonaſſe fratri ſuo, ſi ipſi præſtare nolit communia & uſitata humanitatis officia, & chriſtianæ benevolentiæ ſigna, cujuſmodi ſunt, data occaſione congredi, alloqui, obvium ſalutare; ſi paratus non ſit opem indigenti ferre, atque implere præcipuum illud Domini noſtri pæceptum: *Benefacite his, qui oderunt vos* (c); ſi contra de ſecundis ipſius rebus dolore afficiatur, de adverſis vero gaudeat; ſi ipſi facile detrahat, vel obloquentes libenter audiat? Is certe quandiu hunc animum gerit, non poteſt reconciliari Deo per ſacramentum Pœnitentiæ.

Idem eſto judicium de iis, *qui aliena, quum poſſint, reſtituere nolunt*. *Non remittitur peccatum*, inquit Auguſtinus, *niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt* (d). Quum autem reſtitutionis neceſſitas oriatur *ex injuſta acceptione*, ut ſi rapina,

(a) *Marc. XI. 25. 26.*
(b) *Matth. XVIII. 35.*
(c) *Matth. V. 44.*
(d) *S. Auguſt. Epiſt. LIV. ad Maced.*

pina, furto, dolo, aut fraude quidquam alteri ablatum fuerit; *ex injusta detentione*, ut si operariorum mercedes retineantur, vel æris alieni solutio plus justo differatur; *ex damno illato*, ut siquis alterius domum incenderit, vel agrum devastaverit; denique *ex contractu*, *vel quasi contractu*; videndum est, quanam ex hujusmodi caussis restitutionis, aut compensationis legi subjiciatur pœnitens, & serio monendus, ut hanc justitiæ partem impleat, vel certe magno studio implere conetur; quod si id præstare nolit, non erit absolvendus.

Equidem inopiam, & rei familiaris angustiam causari solent, qui restitutionis, vel compensationis præceptum implere detrectant. Sed adducendi omnino sunt, ut suis commodis & voluptatibus subtrahant, quod aliis debetur; nempe si nobilis, aut honestæ conditionis sint, ut ab omni luxu & pompa temperent, ut frugali utantur mensa, modestiore apparatu, minori famulitio, & amore justitiæ tam parce vivant, ut alii faciunt suadente avaritia, quin tamen a sua conditione excidant. Si autem sint plebeii, aut rustici, impensius insistant laboribus, popinas vitent, lusu abstineant, nec sumptus faciant minime necessarios. Quod autem de reparando damno alienis rebus illato dictum est, de sarciendo quoque famæ detrimento intellectum oportet: quod quidem officium sæpe negligitur; nam quo facilius læditur alterius fama, eo difficilius reparatur.

Anne vero licebit eos absolvere, qui proximam peccandi occasionem, in qua versantur, amoliri nolunt, aut deserere? Proxima peccandi occasio ea est, in qua quis constitutus prudenti judicio censetur peccaturus. Variæ autem

autem, atque inter se diversæ recensentur occasiones proximæ: aliæ enim *per se, atque ex genere suo*, spectata potissimum humanæ naturæ imbecillitate & corruptione, aptæ sunt homines in peccatum inducere, ut turpia atque obscoena conspicere, vel cum hominibus vitio aliquo corruptis amicitiam & consuetudinem jungere, vel cum impudica muliere familiariter agere: aliæ vero hujusmodi sunt *per accidens*, ut ajunt scholæ, per accessionem scilicet alterius causæ, quæ facit, ut vix, aut ne vix quidem peccatum vitari possit, ut quædam officii munera, honesta quidem suapte natura, innoxia, tum vero etiam sanctissima, ut militis, medici, negociatoris, judicis, parochi, confessarii, quæ aliquibus esse possunt proximæ peccandi occasiones ob eorum inscitiam atque imperitiam, vel peculiarem animi infirmitatem, & vehementes cupiditates, quibus non valent obsistere. Rursus occasiones proximæ vel *voluntariæ* sunt, quæ sine gravissimo periculo aut damno vitari possunt; vel *involuntariæ, ac necessariæ* necessitate sive *physica*, ut si quis in carcere, vel in triremi vinctus detineatur cum flagitioso, a quo ad peccandum adducitur; sive *morali*, a qua quis difficillime, nec sine gravissimo periculo aut damno se expedire potest, ut si puella paterna in domo habeat impurum amatorem, a quo sollicitatur ad turpia, vel si quis in peccatum adducatur ejus muneris officiique causa, quod nequit sine ingenti jactura ac damno dimittere.

Sane ab odio & detestatione peccati, ideoque a vera poenitentia longe abest, qui statim, quum possit, recedere non vult a proxima peccandi occasione cum peccato ipso morali quo-

dam nexu conjuncta, imò vero perstat in voluntate peccandi; nam ex duobus inter se colligatis atque connexis qui unum vult, aliud quoque velit necesse est, ideoque absolutione donari non potest.

Sed etsi poenitens polliceatur a proxima, in qua voluntario versatur, occasione se recessurum esse, hæc vero jugiter ac vehementer ad peccatum impellat, ut si apud se concubinam habeat, non antea absolvendus est, quam illam reipsa dimiserit; si vero agatur de aliis occasionibus non ita valide urgentibus, poenitens autem ab ea se recessurum spondeat, poterit prudens Sacerdos eum absolvere, dum alias veræ poenitentiæ notas in eo deprehendat; si autem hujusmodi promissa alias violaverit, differenda ei est absolutio extra mortis periculum, donec emendationem suam probatam fecerit. Ita S. Carolus: *Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus & similibus involutum, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam in sua potestate habeat, non debet sine dubio confessarius absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit; pro aliis vero occasionibus, quales sunt assidua alearum ludo vacatio, aspectus minus pudici, periculosæ confabulationes &c. non absolvatur pœnitens, nisi eas dimittere polliceatur. Quod si jam alias pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tandiu differatur, donec aliqua appareat emendatio* (a).

Monet præterea, ut *caute incedat confessarius circa quasdam actiones, aut consuetudines, quæ nihil habent necessitatis aut utilitatis, humanos autem animos facile inclinant ad vitia, & sæpe ad mortalia peccata pertrahunt, ut choreis interesse*

(ad-

(a) *S. Carolus Monita ad Confess.*

(adde etiam scenicis spectaculis), *cum blasphemis, & rixosis hominibus versari sæpius, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quæ consuetudinem adferunt peccandi mortaliter, nam absolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renunciet pœnitens, spondeatque ab iis abstinere diligenter. Si tamen confessarius prudenter judicet se posse fidem adhibere pœnitenti promittenti eorum fugam, semel iterumque poterit absolutionem indulgere, ea tamen semper lege, ut si in iis diutius immoretur, eam postea differat, donec certis & evidentibus indiciis constet illum ab his occasionibus esse segregatum* (a).

Si autem quisquam devinctus inveniatur occasione proxima *physice* necessaria, quam scilicet nullo modo removere aut effugere potest, non est absolvendus, tametsi appareat contritus, nisi forte mors immineat, donec sublatum fuerit periculum proximum peccandi, atque ea occasio proxima evaserit remota. Eum tamen monere oportet, ac magnopere hortari, ut jugi oratione, sensuum custodia, cupiditatum cohibitione, carnis mortificatione, frequenti confessionis usu perniciosæ occasionis vim eludere atque enervare nitatur. Et certe ad hujusmodi conatus eliciendos plures mirifice compellit absolutionis prorogatio, ac facit ut e vitiis emergant, in quibus misere computrescerent.

Eadem curationis ratio iis abhibenda est, qui in aliqua peccandi occasione per se aut per accidens proxima *morali* quadam necessitate detinentur, quum sine gravissimo periculo, aut damno nequeant ab ea recedere. Si autem poenitens præscripta remedia ex animo acceptet, ac

(a) *S. Car. ib.*

ac sufficientia poenitentiæ indicia edat, absolvendus erit. Si vero nullo remediorum usu constanti licet ac diuturno prohiberi possit, quominus prævalida occasionis vi in peccata ut antea impellatur, sine absolutione dimittendus erit, donec occasionem ipsam dimiserit, quidquid inde temporalis damni ac periculi sit obventurum, ut docet S. Carolus: *Si vero Confessarius absolutionem differre non possit, quin pœnitentem exponat gravi infamiæ periculo; tum si contritum certis quibusdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quæ ad illius emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos..... tunc debebit eum absolvere. Quod si mediis ad emendationem adhibitis adhuc peccat, ut antea; tunc per negationem absolutionis cogendus erit ad deserendam illam occasionem* (a). Quod quidem Dominus Servator noster faciendum esse præcipit illis verbis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.... & si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te* (b).

Inter occasiones proximas nulla sane perniciosior est inveterata peccandi consuetudine, nam istiusmodi occasio vitari, & sine ingenti ac diuturno conatu removeri non potest, quum ipsi animo tenaciter adhereat; tanta vero est vis & potestas, qua ad peccatum impellit ob eas caussas, quas superius enumeravimus c. VI. art. II., ut moralem inducat peccandi necessitatem. Sacerdotis officium est pravam confitentis consuetudinem investigare, & scíscitari quandiu in ea perstiterit, & quos conatus ediderit, ut se se ab ipsa expediret: an, & quoties

(a) *S. Car. ibid.* (b) *Matth. V. 29. 30.*

ties labente eo tempore exomologesim fecerit, & ad sacram synaxim accesserit. Tum poenitens Confessario hac de re interroganti veritatem aperire debet; damnata enim est ab Innocentio XI. propositio hæc 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Oportet autem ut Sacerdos caute se gerat cum poenitentibus, quos noverit prava aliqua consuetudine implicatos, nec antea ipsis absolutionem impertiat, quam veræ contritionis, & emendationis sufficientia argumenta exhibuerint.

Solent quidem confitentes testari peccatorum suorum ex animo se poenitere, & vitam suam in melius emendare velle; nec sane censendum est Christi ministro eos mentiri velle, & Omnipotentis iram in se provocare; sed falluntur ipsi, & se ipsos decipiunt, dum quemlibet poenarum metum pro sincera detestatione peccati accipiunt, quamlibet nutantem, & conditionatam voluntatem, quæ vulgo *velleitas* appellari solet, pro plena atque absoluta; quodlibet imperfectum & inchoatum boni desiderium pro sincero ac firmo emendandæ vitæ proposito; ideoque eorum dictis non est in hac re fides adhibenda.

Sed neque gemitus, suspiria, & lacrymæ sufficientia indicia sunt veræ poenitentiæ; sæpe enim prodeunt ex molli ac debili animi natura, ut contingit in mulieribus; vel ex consideratione temporalium malorum atque ærumnarum, quibus peccatores suis ipsis criminibus se innectunt; ut fur, aut homicida, qui poenis per leges sancitis obnoxium se fecit; ut puella, quæ, quum pudorem abjecerit, dedecus atque ignominiam sibi conscivit; ut ii, qui lu-

do, crapula, aut alio libidinum genere in egestatem, morbos, dolores, summamque miseriam se ipsos conjecerunt.

Quandoque etiam istiusmodi doloris signa oriuntur ex interiori lucta inter carnem & spiritum, inter rationem & concupiscentiam, in quo conflictu caro spiritui praevalet, concupiscentia rationi. Sic Augustinus, dum adhuc teneretur suarum cupiditatum vinculis, & prava consuetudine miserabiliter premeretur, de se ipso querebatur, adversum se ferebatur vehementi indignatione, ut idem ipse testatur in suis confessionibus: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate* (a); *& dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum .... Sentiebam enim me ab iis iniquitatibus teneri, & jactabam voces miserabiles* (b). Haec porro, quae in se ipso expertus est Augustinus, antequam abdicatis mundi illecebris, & sensuum oblectamentis ad Deum toto corde se se converteret, pii quidem motus sunt a divina gratia, quae nos ad poenitentiam vocat, in cordibus nostris excitati, non tamen censeri possunt verae poenitentiae argumenta.

Putant nonnulli sufficiens verae poenitentiae indicium haberi, quum quis a peccatis, quibus assuetus erat, non modico temporis spatio se se continuerit. Videndum tamen, utrum id fecerit sincero emendandae vitae consilio, an potius ut absolutionem paschali potissimum tempore surripiat in eadem ipsa peccata post absolutionem prolapsurus. Videndum etiam, an aliquandiu peccare destiterit, propterea quod de-

(a) *S. August. Conf. lib. VIII. cap. V. 1.*
(b) *Idem lib. VIII. cap. XII. 1.*

defuerit peccandi occasio, vel potestas; nam sæpe fures a latrociniis temperant, quia nulla se exhibet occasio impune furandi; ebriosi a vino, quia, quum careant pecunia, nequeunt cauponas frequentare; impudici a fornicationibus atque adulteriis, quia gravi aliquo morbo conflictantur.

Verum quid refert, ut quis ab eo se abstineat malo, quod perpetrare non potest? An forte ob id melior censendus erit, quum in eo adhuc vigeat mali desiderium tanto vehementius, quanto difficilius expleri potest? Is profecto laudatur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit* (a), maxime vero si graves pertulerit tentationes, eisque fortiter obstiterit oratione, rerum æternarum meditatione, sensuum custodia, & christiana mortificatione munitus, veluti galea salutis, & lorica justitiæ, & scuto fidei, ut possit extinguere tela nequissimi ignea (b).

Definiri nequit in universum quousque probanda sit ejus conversio, qui in aliqua peccandi consuetudine diu versatus est, antequam sacramentali absolutione donetur. Accurate enim perpendendum est, quandiu viguerit funesta illa consuetudo & quam crebri fuerint in peccatum lapsus; quo tempore cœperit cavere a peccatis; quas internas expertus fuerit luctas, quam vehementes tentationes, & quam valide ipsis obstiterit; quam caute vitaverit peccandi pericula; quo animi fervore, qua assiduitate & constantia orationi, æternarum rerum meditationi, sensuum mortificationi, aliisque christianæ pietatis ac misericordiæ officiis operam dederit. Horum omnium habenda est ratio, ut

(a) *Eccli. XXXI. 10.* (b) *Ephes. VI. 16.*

ut prudens de vera poenitentis conversione feratur judicium, nec plus æquo ei differatur, aut festinetur absolutio.

Si autem contingat, ut is post impetratam absolutionem, tametsi in bonis operibus supra memoratis se se exercere non prætermiserit, ob fortuitam aliquam & minime quæsitam occasionem, vel ob vehementem tentationem, quæ vix reliquerit seriæ considerationi locum, vel non nisi post durum certamen victus semel aut iterum peccaverit, adhuc absolvi poterit, ejus enim lapsus humanæ potius infirmitati, quam voluntatis nequitiæ ac perversitati tribuendum est; quandoquidem vera poenitentia, & ipsius Sacramenti gratia concupiscentiam non destruit, nec funestissimas pravæ consuetudinis vires omnino extinguit, nec bonam voluntatem inexpugnabilem efficit. Meritoque propterea Tridentina Synodus anathema ei dicit, *qui hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere atque ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum* (a). Magnopere autem hujusmodi lapsum hortari oportet, ut majores conatus exerat, impensiusque insistat orationi, aliisque bonis operibus, quæ validiora divinæ gratiæ auxilia nobis conciliant.

Quid vero de iis statuendum putabimus, qui perpetua vicissitudine a confessione ad peccata, a peccatis ad confessionem in duas veluti partes claudicant, ut loquitur Propheta (b), nunc Deo litantes, nunc idolo Baal, diabolo scilicet, mundo, & suis concupiscentiis? Quantacumque sit humani animi mobilitas & inconstan-

(a) *Conc. Trid. Sess. VI. Can. XXIII.*
(b) *III. Reg. XVIII. 21.*

ſtantia, neminem certe invenire erit, qui nunc ſinceræ amicitiæ fœdus cum alio ineat, mox vero per gravem injuriam illud abrumpat; nunc ira atque odio in alium exardeſcat, mox vero cum eo in gratiam redeat, idque non ſemel faciat, ſed frequentiſſime. Quis igitur adduci poteſt ut credat veram & ſinceram eſſe eorum poenitentiam, qui redeuntibus quibuſdam præcipuis feſtivitatibus exomologeſim faciunt, ſed poſtera die, vel cum primum aliqua exſurgit tentatio, in eadem ipſa relabuntur mortifera peccata, quæ in confeſſione aperuerunt, nec ullam præ ſe ferunt vitæ emendationem? Qui fieri poteſt ut is, qui toto corde adhæſit Deo per poenitentiam, qui peccatum malorum omnium maximum ſummo odio abominatus eſt, firmiterque ſtatuit omnia potius perferre mala, quam in ipſum relabi, qui inſuper Sacramenti gratia roboratus conſtantior effectus eſt in propoſito, tam cito, tam frequenter, tam facile a Deo recedat, in peccatum corruat, & ſine certamine ſponte ſe dedat diabolo? Hujuſmodi ſpecie tenus poenitentes a Sancto Iſidoro Hiſpalenſi irriſores appellantur: *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet* (a).

Horum ergo poenitentia diuturniori experimento probanda eſt, antequam de ejus ſinceritate judicium feratur, atque interea differenda eſt abſolutio, niſi forte mortis periculum, vel inſignis poenitentis fervor aliud ſuadeat. Quum autem prudenti judicio digni cenſeri poterunt, qui abſolutionis gratia donentur, monendi omnino erunt, ut de præterito ſacramentorum abuſu atque contemptu doleant, ite-

(a) *S. Iſidor. Hiſpal. lib. II. Sent. cap. XVI.*

iterentque præteritas confessiones, quæ vel sacrilegæ, vel certe irritæ atque inanes fuerunt, deficiente nimirum vera cordis contritione, & sincero ac firmo emendandæ vitæ proposito.

Quin etiam sacramentalis absolutio proroganda est languidis & tepidis, qui quum semel aut bis in hebdomadam cofiteantur, veniales tantum noxas, in quas consulto, & deliberato animo labi solent, ad sacrum tribunal semper adferunt, nec sincerum emendationis studium præ se ferunt. Sane quum pars præcipua Sacramenti Pœnitentiæ sit intima cordis contritio cum sincero & efficaci proposito vitandi peccata, consequens est ut Sacramentum ipsum irritum faciat, qui hujusmodi caret proposito; eo autem caruisse convincitur, qui iisdem fere venialibus peccatis se se perpetuo commaculat, v. gr., voluntaria evagatione mentis inter orandum, otiositate, atque inertia, immoderato usu cibi aut potus, nimio corporis cultu atque ornatu, indignatione, iracundia, impatientia, dicteriis, obtrectationibus, irrisionibus, quæ charitatem lædunt. Et is quidem, dum in hoc miserando statu jacet, nec conatur assurgere, haudquaquam comparatus videtur ad Sacramenti gratiam suscipiendam.

Nec satis huic malo obviam iri putandum est, si poenitens grave aliquod anteactæ vitæ peccatum, quod potestati clavium alias subjecerit, rursus in confessione aperiat, atque ex animo detestetur; oportet enim ut pœnitens firmiter statuat vitam suam in melius emendare, & debitam satisfactionem pro patratis criminibus Deo exhibere. Anne vero hocce animi propositum habere potest serium ac firmum, qui efficacem non gerit voluntatem majores

jores exerendi conatus ad eas noxas vitandas, in quas consulto & deliberate labi solet quotidie; qui potius paratus est novis offensis divinam Majestatem lædere, quam ipsi pro præteritis satisfacere? Præterea si ad sacramentum Poenitentiæ, tum vero etiam ad sacram Synaxin rite comparatus accederet, gratiam quoque utriusque Sacramenti acciperet, qua firmatus & roboratus non ita facile in quotidianas laberetur noxas, & in via christianæ perfectionis alacrius progrederetur. Huic igitur absolutio proroganda est, quoadusque mores suos emendare impensius conetur.

Quod quidem interdum fieri expedit etiam cum poenitente, qui bene præparato animo censetur esse ad Sacramenti gratiam recipiendam, ut hoc pacto in proposito magis confirmetur, & fervidiori christianæ virtutis studio incendatur, ut ex communi Doctorum sententia docet sapientissimus Cardinalis De Lugo. *Quum ergo*, inquit ille, *Confessarius judicat expedire dilationem absolutionis ad hoc ut pænitens reddatur magis cautus, & confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur, potest certe, & debet aliquando, uti medicus, hoc remedium pænitenti adhibere, nec potest ægrotus rationabiliter conqueri adversus medicum, cui se in hoc Sacramento curandum tradidit. Neque in hoc debemus recedere a communi sententia, cui adstipulatur experientia multorum pænitentium debilium, qui hoc remedio adhibito, brevi tempore solent curari* (a). *Difficultas esse potest, an possit esse caussa rationabilis aliquando ad differendam absolutionem absque consensu pæniten-*

L

(a) *Card. De Lugo de Sacram. Pænit. disp. XIV. Sect. X. num. 171. edit. Lugd. 1644.*

tentis, licet ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus; in quo procul dubio videtur vera communis sententia affirmans, cujus ratio desumitur ex fundamento contrario; nam licet pœnitens legitime dispositus, confessione facta, habeat jus ad sententiam & ad absolutionem, non tamen habet jus ad hoc, ut statim proferatur sententia; potest enim judex arbitrari, quomodo, & quando debeat utilius proferri sententia (a).

Docet præterea Rituale Romanum absolvendos non esse, *qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, & scandalum tollant*. Definitur scandalum a S. Thoma *dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ* (b). Publici autem scandali rei sunt, qui voce aut scripto christianam pietatem irrident aut contemnunt; qui falsa atque impia evulgant dogmata adversus fidei aut morum doctrinam pugnantia; qui amatorias fabulas, vel pictas tabulas edunt impuros affectus excitare aptas; qui novas invehunt morum corruptelas; qui alios ad turpia alliciunt, ut lenones & meretrices, aliæque mulieres, quæ indecoro, inverecundo, & fere meretricio ornatu & cultu delectantur; qui opem præstant criminosis hominibus, & peccandi commoda atque adjumenta subministrant, ut caupones & tabernarii, qui aleatores, ebriosos, impudicos, festorum dierum profanatores, tum vero etiam fures recipiunt, & res furtivas recondunt. His accensendi sunt quotquot palam atque in oculis omnium vitam agunt christiano homine indignam, & pravis morum exemplis eo plus nocet, quo magis aliis nobilitate, opibus, aut di-

(a) *Idem ibid. num. 168. 169.*
(b) *S. Thom. 2. secunda quæst. XLIII. art. I.*

gnitatibus antecellunt. Hi omnes, antequam absolutione donentur, compellendi sunt publicæ offensionis occasionem e medio tollere, tum vero etiam conari, ut spiritualia damna aliis illata publicis veræ poenitentiæ atque emendationis argumentis reparare conentur, quanquam id operis quam maxime arduum ac difficile est; agitur enim de lue perniciosissima, quæ cito in infinitum diffunditur, de incendio a parva scintilla excitato, quod brevi temporis spatio ita excrescit, ut nulla arte atque industria restingui possit, aut prohiberi, ne in immensum propagetur. Porro quod de publico scandalo amovendo ac sarciendo dictum est, privato etiam scandalo aptari potest.

Præcipit etiam Rituale Romanum, ut *si Confessarius pro personarum qualitate cognoverit pœnitentem ignorare christianæ fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis.* Si autem id præstari nequeat, consequens est, ut commodiori tempore vel ab ipso confessario, vel ab aliis poenitens erudiatur, quo fieri possit particeps sacramenti Poenitentiæ; *Fides* enim *humanæ salutis initium est, fundamentum, & radix omnis justificationis*, ut loquuntur Tridentini Concilii Patres (a). Et sane, quum Deo reconciliari nequeat peccator sine detestatione peccati, hæc vero necessario pendeat a veritatibus revelatis, quæ veræ poenitentiæ rationes & caussas nobis exhibent, manifestum est hominem fidei expertem Deo reconciliari non posse. Verum qui fieri potest ut christianæ fidei veritates credat, qui eas penitus ignorat? Igitur absolutionis gratia donari

 non

(a) *Conc. Trid. Sess. VI. C. VIII.*

non potest, qui in hac ignoratione versatur, ut definitum est ab Innocentio XI. per damnationem hujus propositionis, quæ in ordine est 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.*

Sed & ii, qui præcipua quidem christianæ fidei mysteria tenent & credunt, quorum fides explicita omnino necessaria est ad salutem, reliqua autem dogmata, quæ in symbolo fidei continentur, vel Dei & Ecclesiæ præcepta, & communia christiani hominis officia, aut proprii status peculiaria per culpabilem desidiam atque ignaviam ignorant (quod quidem ex ipsa eorum confessione, adhibitis potissimum opportunis interrogationibus, facile dignoscitur), absolvendi non sunt, nisi perniciosissimam ignorationem suam ex animo detestentur ac deplorent, firmiterque statuant & polliceantur in excipiendis catechesibus se assiduos fore, & sedulam christianæ doctrinæ operam daturos. Qui autem semel atque iterum moniti non curant ignorantiæ suæ tenebras disjicere, sine absolutione dimittendi sunt; neque enim salutis viam inire volunt, qui eam agnoscere negligunt, qui nolunt intelligere, ut bene agant (a), *qui dixerunt Deo: recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus* (b).

Non absimili ratione agendum esse docet S. Carolus cum familiarum rectoribus, qui filios & filias, famulos & ancillas christianæ doctrinæ capita addiscere non curant; si enim sæpius a Parocho vel Confessario moniti id offi-

(a) *Psal. XXXV. 4.* (b) *Job. XXI. 14.*

officii neglexerint, proroganda ipsis est absolutio, donec sinceræ emendationis argumenta congruo temporis spatio exhibuerint (a).

Quoniam vero sine cognitione divinorum mysteriorum, quorum fides omnino necessaria est ad salutem, fieri non potest, ut quis per sacramentum Pœnitentiæ justificationis gratiam assequatur, liquet profecto inutiles atque inanes esse eorum confessiones, qui hujusmodi mysteria ignorant. Quapropter quum satis edocti fuerint, curandum est, ut generali peccatorum suorum confessione præteritas, si quas fecerint, exomologeses instaurent. Eadem autem cautione ac diligentia eorum saluti consulendum est, qui Dei & Ecclesiæ præcepta, & communia christiani hominis, vel peculiaria sui status munerisque officia perdiscere noluerunt, aut per ignaviam neglexerunt; nullo enim loco habendæ sunt eorum confessiones, qui lacrymabili hoc culpabilis ignorantiæ vitio longe fœcundissimo laborarunt.

Quæ hactenus diximus de cautione, & circumspectione in dispensatione sacramentalis absolutionis omnino adhibenda, quamquam evangelicæ doctrinæ, sanctorum Ecclesiæ Patrum, & Doctorum præceptionibus, summorum Pontificum, & Conciliorum decretis, tum etiam Ritualis Romani regulis omnino cohæreant, & Sacramenti ipsius dignitati, animarumque saluti quam maxime consentanea sint, dura tamen, & in praxi periculosa, & noxia aliquibus videntur. Ajunt enim: si iis omnibus deneganda, aut protrahenda sit absolutio, quorum pœnitentia ob caussas superius memoratas falsa omnino, aut valde suspecta habetur,

L 3 pe-

(a) *S. Carol. Monita ad Confess.*

periculum est, ne plurimi ex iis, qui sine absolutione dimittuntur, indignatione commoti, vel desperatione perculsi æternæ salutis curam abjiciant, nec amplius ad sacramentum Poenitentiæ accedant. Timendum quoque, ne severioris judicii formidine confessionem sacramentalem veluti animarum carnificinam fideles aversentur, & confessarios in suis sedibus otiosos relinquant. Præstat igitur peccatores ad poenitentiam validioribus cohortationibus excitare, & sacramentalem absolutionem ipsis elargiri, modo se contritos esse testentur, & sincere velle in novitate vitæ ambulare.

Sed futilia omnino sunt hujusmodi objecta, & nullo negotio diluuntur. Certe si Confessarius cum poenitente ad suos pedes provoluto asperius agat, si eum duriter increpet, & durius etiam a se repellat, abibit ille perterritus, aut indignatus, nunquam rediturus. Sed non ita plane cum peccatoribus se gessit Dominus Salvator noster; tanta enim benignitate, & clementia peccatores excipere consuevit, tam humaniter, & familiariter cum illis agere, ut hoc ipsum illi succenserent rigidi Pharisæi, & superbi legis Doctores. Idcirco bonus Christi minister blande, & comiter confitentem peccatorem suscipit; tenerrimo commiserationis affectu eum complectitur, mortifera ejus vulnera detegit, eumque hortatur, ut serio consideret, quanta, & quam horrenda mala sibi consciverit peccando; pessimam, & funestissimam, quæ peccatoribus imminet, mortem; tremendum Dei judicium, ejusque æternam maledictionem; acerbissimos, & nunquam finituros in inferis cruciatus; sævissimos etiam per hanc vitam conscientiæ morsus, & justissimos

mos futurorum timores; cum contra timentibus Deum nihil sit in hac vita, vel in futura metuendum, & inter hujus seculi ærumnas maximo ipsis solatio sit testimonium bonæ conscientiæ, & spes æternæ retributionis, quæ ipsos in cœlis manet.

Si autem sacerdos prudenti judicio existimat haud satis sinceram esse confitentis pœnitentiam, nec satis firmum veræ emendationis propositum, quod facile ex ipsius confessione, & anteactæ vitæ ratione colligere potest, non sine mœroris significatione ei denunciat haudquaquam sibi licere absolutionis gratiam ipsi impertiri, quandoquidem non est in Ecclesia potestas eos absolvendi, qui vere pœnitentes non sunt, nec ipse Summus Pontifex hac pollet authoritate.

Si vero quispiam ex his nomine tenus pœnitentibus conqueratur dicens: hæc ipsa peccata apud alios confessarios centies in confessione aperui, nec unquam sine absolutione dimissus sum; reponit prudens Christi minister: atqui ex hoc ipso videre potes, fili mi, quam inanes, & infructuosæ fuerint confessiones, quas nulla vitæ emendatio subsecuta est; quam merito propterea censendæ sint destitutæ vera pœnitentia. Subinde vero peramanter, enixeque eum obsecrat, ut orationi, æternarum rerum meditationi, aliisque christianæ pietatis & misericordiæ operibus sedulo insistat; ejus animum in spem veniæ erigit, & certum tempus ad redeundum ipsi constituit eadem charitatis effusione ipsum excepturus.

Ita plane illecti peccatores, & bono Christi ministro, veluti parenti suo spirituali, quadam necessitudine devincti, ad ipsum confidenter re-

deunt, ut tandem veræ poenitentiæ argumenta exhibentes reconciliationis sacramentum accipiant; & qui antea vix semel in annum, redeunte nimirum Paschali tempore, peccata sua apud sacerdotem confitebantur, emendati postea, & ad bonam frugem perducti, quovis mense, vel quavis hebdomada exomologesim faciunt. Non tam multæ profecto erunt inanes, aut sacrilegæ confessiones, sed multo plures fructuosæ, & salutares, nec otiosi in suis sedibus manebunt confessarii; nunquam enim deerunt veri poenitentes, qui pro salute animarum suarum eorum ministerium requirant.

Hæc porro agendi ratio servanda omnino est cum peccatoribus vitiis corruptis, & funestissima peccandi consuetudine irretitis; nec sane sufficit validis cohortationibus ad poenitentiam eos excitare, & lacrymas, suspiria, gemitus, & largas emendationis pollicitationes ab ipsis elicere, ut statim digni habeantur, qui sacramentali donentur absolutione.

Equidem Petrus, accepto Spiritu Sancto, e coenaculo prodiens unico ad populum sermone tria millia hominum ad Christum convertit (a), omnesque Apostoli ubique terrarum innumeros alios prædicationis verbo ad poenitentiam adduxerunt, qui statim Baptismi aquis regenerati, & per impositionem manuum Spiritu Sancto repleti fortissimi evadebant christiani, invictoque animo inter sævissima tormenta, & supplicia Christum confitebantur. Sed hæc fuerunt divinæ gratiæ miracula, & multo quidem grandiora ceteris signis, atque portentis, quibus Deus voluit Ecclesiam suam in terris constabilire. Elapso autem Apostolorum ævo raro ad-

(a) *Act. II.*

admodum apparuerunt prodigia hæc ſubitæ converſionis. In exordio enim chriſtiana religio, ut nova plantatio, erat miraculis irriganda, ut animadvertit Magnus Gregorius; quum autem profundas radices egit & in immenſum crevit, irrigatio ceſſavit.

Idcirco Eccleſiæ Spiritus Sancti lumine colluſtrata decrevit, ut qui ex infidelitate ad chriſtianam religionem convertebantur, non antea Baptiſmi aquis abluerentur, quam tres cathecumenorum gradus emenſi fidem ſuam duorum, vel trium annorum ſpatio probaſſent. Qui autem poſt Baptiſmum lapſi eſſent, non donarentur pace, ſeu abſolutione, niſi multo longiori tempore poenitentiæ ſuæ ſinceritatem teſtatam feciſſent. Non igitur putandum eſt brevi ſermone peccatorem adduci poſſe ad veram converſionem, vitæque novitatem, ad quam ut loquitur Tridentinum Concilium, non pervenitur, niſi *magnis fletibus, & laboribus* (a); nec fidendum momentaneis fletibus, & ſuſpiriis, quæ, ut repentina quædam aeris meteora, cito tranſeunt, atque evaneſcunt, niſi alia ſuppetant veræ poenitentiæ ſigna, atque indicia.

Alia quoque adverſus ſolidam doctrinam toto hoc capite expoſitam objectari ſolent incommoda, abſurda, ac pericula, quæ ex denegata abſolutione aliquando oriri poſſunt. Sed nulla fingi poteſt juſta cauſa, cur Chriſti miniſter ſacramenti ſanctitatem violet, & facultate ſibi tradita abutatur, ei, quem indignum novit, abſolutionem impertiendo. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſacramentorum omnium inſtitutor certam, & propriam cuique ſacramento

(a) *Conc. Trid. Seſs. XIV. C. II.*

mento materiam constituit, quæ a nobis prætermitti, aut variari non potest citra grande sacrilegii piaculum; quapropter in Baptismate infantis, qualecumque sit ejus vitæ periculum, non licet adhibere vinum, vel alterius generis liquorem præter aquam, nec unquam licet sacrum operari in aqua tantum, vel pane hordeaceo. Quum igitur ad sacramenti Poenitentiæ materiam contritio necessario pertineat, ut docet Tridentinum Concilium, sacrilegii reus efficitur sacerdos, si illud administret, cum prudenti judicio existimare non potest veram adesse contritionem. Jam vero, quum sacrilegium per se, atque ex genere suo actio prava sit, legique naturali adversetur, nunquam illud perpetrare licet, sicuti nefas est semper, mendacio uti, aut perjurio, tametsi de propria, vel alterius, vel totius humani generis fama, salute, ac vita ageretur. Nunquam igitur licet sacramentum administrare, quum deesse creditur contritio, vel ne desit prudenter timetur, propterequod sufficientia ejus indicia desiderantur. Si quid autem mali timendum sit, ut confitentis ignominia, vel aliorum offensio, facile averti poterit prudenti aliquo consilio, quod ingeniosa sacerdotis charitas suppeditabit.

Ab hac certa, atque inconcussa regula excipitur casus ingruentis mortis, ut si quis morti proximus dubia tantum, atque incerta exhibeat contritionis indicia; tunc enim potest, ac debet sacerdos sacramentalem absolutionem ipsi impertiri, quum animarum saluti per incerta ac dubia remedia consulendum sit, si certa non suppetant; nam charitas religioni præferenda est, quotiescumque utriusque virtutis officiis satisfieri nequit. Nec ulla tunc infertur inju-

ria divini Institutoris majestati; quum enim Christus Dominus in hominum salutem sacramentum Poenitentiæ instituerit, vult sane, ut periclitanti morientis hominis saluti magis prospiciatur, quam dignitati, & sanctitati ipsius sacramenti. Quod quidem locum habet duntaxat in sacramentis Baptismi, & Poenitentiæ, quæ necessaria omnino sunt necessitate, ut ajunt, medii, sive homini nondum regenerato, sive homini post Baptismum lapso, non autem in aliis sacramentis, in quibus semper nefas est materiam incertam ac dubiam adhibere.

Sic igitur cautos diligentesque in tantæ rei administratione nos exhibeamus, ut fideles inveniamur divinorum mysteriorum dispensatores; nec timeamus eorum querimonias, qui jus sibi ad sacramentalem absolutionem acquisitum putant, simul atque in confessione peccata sua utcumque aperuerunt, eamque in aliud tempus differri ægre ferunt. *Quis enim mortuus*, inquit S. Cyprianus, *vivificari non properet? Quis non ad salutem suam venire festinet? Sed Præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est; nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam* (a).

Profecto qui pii, ac prudentis Sacerdotis absolutionem protrahere volentis judicio acquiescunt, & ejus interea saluberrimis monitis parent, christianæ pietatis operibus incumbendo, habent postea, unde lætentur, quum se a servitute peccati ereptos, & in libertatem filiorum Dei revocatos senserint. Non ita plane qui ad alios con-

(a) *S. Cypr. Ep. X. juxta edit. Paris.*

convolant imperitos Sacerdotes, aut plus justo indulgentes, qui præpropera absolutione venenum pro medicina propinant, ut ait Clerus Romanus ad S. Cyprianum scribens: *Certi sumus quod spatio productioris temporis, impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam, si tamen desint, qui illos arment ad periculum proprium, & in perversum instruentes pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa deposcant illis properatæ communicationis* (idest reconciliationis) *venena* (a). Huc etiam spectat quod habet Tertullianus de eo, qui se curandum tradidit experientissimo medico, dumque inuritur, aut secatur, ingemiscit, & vehementes clamores edit, atque ululatus, postea vero accepta, redditaque salute, ejus peritiam laudat, ejus manus in se non sævas, sed pias fuisse fatetur, & larga mercede cumulat (b).

Caveamus tamen, ne dum mollem indulgentiam effugere volumus, quæ cupiditatibus blanditur, & vitia fovet, in rigidam severitatem impingamus, quæ peccatores a sacramento reconciliationis avertat, & in desperationem suæ salutis conjiciat. Hæc duo extrema ex æquo vitanda sunt, & missis præconceptis opinionibus, seposito omni partium studio, quod ignorantiam fovet, in errorem inducit, ac sæpe etiam sanctissimæ charitatis vincula abrupit, media inter utrumque via incedendum est, quam nobis commonstrarunt sapientissimi Doctores, qui moralis Theologiæ præcepta ante seculum XVI. scriptis illustrarunt, nimirum antequam effrænata opinandi licentia, & sophistica disputandi ra-

(a) *Ep. XXX. Inter opera S. Cypr. ed. Paris. ut sup.*
(b) *Tertull. de bono martyrii c. V.*

ratio in theologicas ſcholas inveheretur, ex qua tam multa prodierunt horrenda opinionum portenta a Summis Pontificibus Innocent. XI., Alexandro VII., & VIII., tum etiam a Benedicto XIV. damnata, ac profligata. Evolvamus ſcripta S. Thomæ Aquinatis Theologorum facile Principis, Sancti Bonaventuræ, S. Raymundi de Pennafort, S. Antonini Florentinorum Epiſcopi, S. Bernardini Senenſis, Henrici Cardinalis Hoſtienſis, Sylveſtri a Prierio. Quanta porro in ipſis cernitur doctrinæ ſoliditas, quanta ſententiarum harmonia, atque conſenſio! Nihil invenire eſt inſolens, atque abſurdum; nihil, quod chriſtianæ profeſſionis ſanctitati adverſetur, nihil, quod ſtoicam atrocitatem redoleat. Nec mirum, nam ſolidis ſemper, & firmis nituntur principiis, & nihil pronunciant, nihil ſtatuunt, quod non oſtendant cum Scripturarum oraculis, cum ſanctorum Patrum doctrina, cum ſummorum Pontificum, & Conciliorum decretis, tum etiam cum incorrupta ratione apprime cohærere. Horum igitur veſtigiis inſiſtamus, eamque optimam eſſe cenſeamus viam, quam ipſi nobis tritam, & tutam reliquerunt.



AP-

APPENDIX.

De visitatione & spirituali cura Infirmorum.

SOllicita ægrotantium cura pars quidem est haud sane postrema pastoralis muneris atque officii, sed aliis quoque Sacerdotibus demandata est, atque iis potissimum, qui facultatem audiendi fidelium confessiones a Præsule suo acceperunt; oportet enim ut in juvandis infirmis vicariam operam suam præstent Parochis, qui sæpe gravissimis aliis distenti curis, vel multis suæ plebis infirmis plus nimio gravati nequeunt omnibus præsto esse.

Ut autem salutares sint infirmis hujusmodi visitationes, Sacerdos ad ægrum invisendum accersitus, si tempus suppetit, ad orationem confugiat, & divinam opem enixe imploret, qua communitus ad pios affectus infirmum excitare valeat, eumque adducere, ut animæ suæ saluti pro virili parte prospiciat. Rem quoque apprime utilem faciet, ut monet S. Carolus, si *de ægri* (sibi ignoti) *statu generreque morbi, adversaque valetudine perquirat; ejus item mores, vitam, actiones, negotiaque: ut sciat salubria dare consilia, opportunaque adhibere remedia, omnique sancta consolatione juvare* (a). Tum ad ipsum accedens blande leniterque alloquatur, horteturque ut omnem spem suam in Deo ponat, & sibi persuasum habeat corporis ægritudines paternas esse visitationes, quibus misericors Deus noster, & amantissimus Pater ad emen-

(a) *S. Carol. Act. Parte IV. de Visit. & cura Infirm.*

emendandam præteritæ vitæ rationem, vel in via christianæ virtutis alacrius progrediendum nos provocat.

Propinquis deinde & familiaribus secedere jussis, cum infirmo agat de æternæ salutis negotio, eumque peramanter hortetur, ut per sacramentum Pœnitentiæ reconcilietur Deo; sic enim corporis salutem a Deo facilius impetrabit, vel certe levissime perferet infirmitatis incommoda christiana acquiescentia Divinæ voluntati, atque æternæ mercedis spe mirifice recreatus. Nec saluberrimas hac de re Ecclesiæ leges commemorare prætermittat, nempe decreta Œcumenici Concilii Lateranensis IV., & S. Pii V., aliorumque Pontificum Constitutiones, quibus cavetur, *ne medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse* (a). Ægri deinde confessionem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata in confessione aperire (quod quidem ut faciat magnopere hortandus est), eumque benigne adjuvet, ut recogitare valeat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ.

Levis poenitentia imponenda est infirmo, neque enim gravem & laboriosam ferre posset, sed pro peccatorum gravitate & numero congruam aliam poenitentiam indicere oportet ab ipso implendam, si convaluerit (b). Si vero æger periculose decumbat, *rationes pœnitentiæ justæ eliget* (Sacerdos), inquit S. Carolus, *quæ possint præstari a jacente, veluti magnam eleemosynam pro facultatum modo; suadebit etiam, ut morbi*

(a) *Ritual. Roman. De Visitation. & cura infirmorum.*

(b) *Rit. Rom. de Sacram. Pœn. in fine.*

morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis suis offerat (a).

Post hæc infirmum non deserat, sed frequenter invisat. Si autem ingravescat morbus, *eum moneat, ut ne dæmonis astu*, ut loquitur S. Carolus, *neque medicorum pollicitationibus, nec propinquorum, aut amicorum, domesticorumve blandis cohortationibus se ullo modo decipi sinat, quominus in ea, quæ sibi salutaria sunt, incumbat* (b); nempe ut qua par est sollicitudine sancta Sacramenta, dum sana mente est, integrisque sensibus, religiose suscipiat citra fallacem illam & perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perducit (c). Si vero æger se difficilem præbeat, vel id præstare omnino renuat; ejus rei caussam prudens Sacerdos perquirat, aptisque rationibus, & cohortationibus ejus animum flectere studeat, tum suis aliorumque precibus validiora divinæ gratiæ auxilia ipsi imploret.

Curet etiam ut, si ab infirmo condendum sit testamentum, id mature faciat, antequam rationis, sensuumque viribus destituatur, alioquin ejus testamentum postrema quidem ipsius voluntas appellabitur, non tamen suæ voluntati, sed potius solerti aliorum cupiditati respondebit. Eum insuper moneat ut, dum disponit domui suæ, animæ quoque suæ saluti prospiciat, præcipue vero ut res alienas, aut male partas, siquas habet, restituat, illata damna sarciat, justitiæ simul, charitatisque legibus satisfaciat, vel certe, si tempus non suppetat, a suis hæredibus id fieri mandet. In hoc autem offi-

(a) *S. Carol. de Visit. & cura infir. cap. de conf.*
(b) *Ibi. Cap. Cohortat., & monita ad ægrotum.*
(c) *Rit. Rom. De Visit. &c.*

officii munere obeundo omnis avaritiæ nota fugiatur (a), quam quidem sibi ipsi inureret Christi Minister, si blandis suasionibus hæreditates, aut donationes pro se, aut suis a morientibus aucuparetur. Huic malo occurrere voluit Valentinianus Augustus per legem insertam Theodosiano Codici (b), qua cavetur, ne virgines Deo sacras, vel senes, anusque infirmas sine liberis decedentes clerici, aut monachi decipiant, ut hæreditates ac donationes furentur, quæ propinquis potius relinquendæ essent. Meminit hujus legis S. Ambrosius Epist. XVIII. ad Valentinianum juniorem his verbis: *Nobis privatæ successionis emolumenta recentibus Legibus denegantur: & nemo conqueritur*. Ejus quoque meminit S. Hieronymus agens de vita Clericorum & Sacerdotum; nec legem ipsam improbant sancti isti Ecclesiæ Patres & Doctores, sed eorum avaritiam deplorant ac detestantur, qui ejus ferendæ ac promulgandæ occasionem non sine ingenti Ecclesiastici ordinis probro exhibuerunt.

Si autem infirmus liberos suos, aut propinquos pauperes fraudare velit hæreditate, ut ex bonis suis Ecclesiam ditet, eum a proposito dimoveat illud Augustini usurpans: *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, non Augustinum, immo Deo propitio neminem inveniet* (c). Si vero condere velit sacerdotium, aut beneficium ecclesiasticum jurepatronatus familiæ suæ, ab eaque descendentibus reservato, ejus voluntati fortiter obsistat, nam qui id faciunt, nihil sibi laudis

M ac

(a) *Ritual. Rom. ibid.*
(b) *Cod. Theod. lib. XVI. tit. III.*
(c) *S. August. Serm. XXXV. alias XL. de diversis cap. IV.*

ac meriti apud Deum comparant, neque enim Dei gloriæ, & Ecclesiæ utilitati consulere volunt, sed suorum commodis, curando ut ea bona, in quibus beneficium constitutum est, distrahi non possint, sed perpetuo apud eos maneant. Et hæc porro beneficia vera Eccl·siæ calamitas appellari possunt, nam innumeras lites parere solent, & in Ecclesia ipsa ineptos & vitiis corruptos ministros multiplicant, qui in destructionem potius, quam in ædificationem assumpti videntur.

Peculiari studio subveniendum est infirmis pauperibus, qui rerum omnium inopia & morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur, quorum vice commotus Christi minister aliquid, si potest, erogabit de suo, tum eleemosynas sive a piis locis, sive a ditioribus conquiret ad eorum inopiam sublevandam, nec prætermittet vicinos rogare, ut sollicitam eis curam impendant. His autem paternæ charitatis officiis dejectus infirmi animus erigetur, & Sacerdotis, quem ita benevolum & providum experitur, hortamenta & monita libentius excipiet, eisque promptius obtemperabit.

Ingruente jam morte vehementioribus tentationibus decumbentem aggreditur diabolus sciens quia modicum nocendi tempus habet, oportetque propterea, ut adversus tela nequissimi ignea armatura Dei muniatur, lorica scilicet justitiæ, & scuto fidei, & galea salutis, & gladio spiritus, ut loquitur Apostolus (a). Sacerdos igitur periclitantem non deserat, sed pios affectus in ejus animo ciere nitatur; fidei potissimum, spei, perfectæ charitatis, & contri-

(a) *Ephes. VI.*

tritionis, tum etiam christianæ patientiæ, & acquiescentiæ divinæ voluntati. Ita plane a natura comparatus est homo, ut dolores, cruciatus, & mortem vehementer aversetur, ac refugiat. Moneatur ergo infirmus, ut ob naturales hujusmodi reluctantis carnis motus non perturbetur, nec animum despondeat, quandiu spiritus divinæ voluntati cohæret, eique subjicitur. Dominus Jesus Christus, qui propter nostram salutem cum natura nostra ejus quoque infirmitates assumere dignatus est, internam hanc luctam persentire voluit, dum Patrem oraret in horto Getsemani, de eaque certiores nos fieri voluit per Evangelistas suos in solatium servorum suorum, qui talia patiuntur. Crudelis & ignominiosæ mortis horrore perculsus sic Patrem oravit: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (a). Petat ergo infirmus, si placet, leniri dolores suos, arceri mortem, integram sibi salutem restitui, dum statim addat: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (b).

Curandum quoque, ut æger per intervalla mentem suam, & cor ad Deum elevet brevi aliqua prece his, aliisque Scripturarum verbis concepta: *Deus propitius esto mihi peccatori... Domine, si vis, potes me mundare.... Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina... Sana animam meam, quia peccavi tibi... Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus... Tuus sum ego, salvum me fac... Operi manuum tuarum porriges dexteram.... In te, Domine, speravi, non confundar in æternum... In manus tuas,*

(a) *Matth.* XXVI. 39. (b) *Luc.* XXII. 42.

tuas, Domine, commendo spiritum meum. Juverit etiam dulcissimum Jesu Nomen frequenter invocare, ejusque acerbissimam passionem & mortem ex Evangelio commemorare. Hæc autem identidem suggerenda sunt, non elata & sonora voce, quæ morientis aures molestissime obtundit, sed humili ac remissa, nam auditus organa, quo magis vi morbi languescunt, eo facilius quolibet vel tenui aeris vibratione commoventur. Nec sane multis sermonibus opus est, quibus prostrata ejus mens obruatur, sed multa & fervida ad Deum prece, qua in extremo illo agone periculi pleno validiora divinæ gratiæ auxilia ipsi implorentur. Oret ergo Sacerdos cum adstantibus, tum etiam populum sacri æris sonitu ad orandum invitari curet, ut multorum apud Deum precibus morienti subveniatur.

Si forte quispiam repentina vi morbi, vel lethali vulnere, vel alio quovis inopinato casu in proximum mortis periculum conjiciatur, quum primum id noverit Sacerdos, celerrime accurrat, eique opituletur in extrema illa vitæ periodo, a qua pendet æternitas; nam *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* (a). In eo autem vitæ discrimine, si desit confessarius approbatus, quilibet Sacerdos, tametsi nulla polleat sive ordinaria, sive delegata jurisdictione, periclitantis confessionem excipere potest ac debet, & salutarem absolutionem, si sufficientia exhibeat poenitentiæ signa, ipsi impertiri a quibusvis criminibus ac censuris summorum Sacerdotum, vel ipsius Sanctæ Sedis judicio reservatis; nulla enim reservatio locum habet in

(a) *Eccles. XI. 3.*

in mortis articulo, ut docet Tridentina Synodus his verbis: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt* (a). Verum qui in illis temporis angustiis a censuris reservatis absolvitur, monendus est, ut juxta Ritualis Romani præscriptum, *si periculum evaserit, Superiori, a quo alias esset absolvendus, quam primum poterit se sistat, quicquid debet, præstiturus* (b); si enim id negligeret, in easdem censuras rursus incideret, ut sancitum est cap. *Eos qui* de Sent. excom. in Sexto his verbis: *Si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi, se illi, a quo, his cessantibus, absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter accepturi & satisfacturi, prout justitia suadebit; decernimus, ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ, in eamdem sententiam recidere ipso jure.*

Meminerint vero Sacerdotes per saluberrimam Constitutionem a Benedicto XIV. P. M. editam Kal. Junii 1741., cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, districte prohiberi, *ne quis extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote*, etiam simplici, sive non approbato, *qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem complicis*, seu participis *in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat;* tum

(a) *Conc. Trid. Sess. XIV. cap. VII.*
(b) *Rit. Rom. de Sacram. Pœnit*

tum in Sacerdotem, *qui ſecus facere auſus fuerit*, inflictam eſſe *majoris excommunicationis pœnam*, a qua, niſi Summi Pontificis authoritate, abſolvi non poſſit. Sic porro ſapientiſſimus Pontifex plectendum duxit Sacerdotem, qui ſuæ impudicitiæ participi in extrema vitæ periodo ſacramentum Poenitentiæ temere adminiſtret; noluit tamen in eo rerum ſtatu neceſſariam juriſdictionis poteſtatem ipſi ſubtrahere, ne reconciliationis beneficio moriens fruſtretur, ut fuſe expoſuit in alia Conſtitutione edita die 8. febr. an. 1745., quæ ab his verbis incipit: *Apoſtolici muneris*. Plura alia videre eſt in hac ipſa Conſtitutione notatu digna; confidimus autem in Domino ex venerabili noſtræ Dioeceſis Clero neminem unquam futurum eſſe iis poenis obnoxium, quibus communitæ ſunt memoratæ Conſtitutiones.

Curandum quidem quam maxime eſt, ut integra peccatorum confeſſio a moribundis eliciatur cum perfecta cordis contritione conjuncta; verum ſi quis vi morbi oppreſſus inchoatam confeſſionem perficere non valeat, vel ſi loquelæ uſum ante Sacerdotis adventum amiſerit, ſigna tamen doloris & poenitentiæ coram eo exhibeat, vel ſaltem adſtantes fidem faciant ejuſmodi ſigna eum edidiſſe, aut ſacramentalis confeſſionis deſiderium ſignificaſſe, abſolutione donandus erit, ut docet Rituale Romanum his verbis: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit,*

ab-

absolvendus est. Quæ quidem cohærent cum antiqua Ecclesiæ praxi, ut liquet ex Concilio Carthaginensi IV. Can. 76., ex Arausicano I. Can. 12., & ex Epistola Sancti Leonis Papæ relata in Can. *Multiplex* de poenitentia distin. I., ubi legimus: *Quod si ægritudine aliqua ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur*.

Quinimmo dubia quoque poenitentiæ signa, aut probabili judicio præsumpta, veluti si quis christianam vitam duxerit, & Sacramenta frequenter suscipere consueverit, & post peccatum poenitentiæ agendæ tempus habuerit, complures non infimæ notæ doctores sufficere existimant, ut prudens Sacerdos sacramentalem absolutionem sub conditione impertiat. Præstat enim, inquiunt, anceps adhibere remedium, quam nullum; & in extremo agone periclitanti dubia ope subveniendum est, si certa afferri nequeat. Nos quidem in hac re nihil certi statui posse putamus, donec ab Ecclesia quicquam definitum fuerit. Omnes autem Sacerdotes rogamus, atque obsecramus in Domino, ut in juvandis infirmis & morti proximis operam suam strenue naviterque impendant; sic enim fideles invenientur dispensatores mysteriorum Dei in salutem animarum, *& veniet super eos benedictio perituri* (a).

AD

(a) *Job. XXIX. 13.*

AD SACERDOTES COHORTATIO.

PRæcipuas ſacerdotalis officii partes in adminiſtratione ſacramenti Poenitentiæ breviter expendimus, venerabiles Chriſti Miniſtri. Supereſt nunc, ut charitatem veſtram ad ſedulam atque aſſiduam tanti myſterii diſpenſationem excitemus, qua nihil eſt in Eccleſia utilius, atque præſtantius ad componendos fidelium mores, ad chriſtianam pietatem fovendam, ad peccatores in viam ſalutis, & vitæ revocandos.

Plurimum quidem valet ad hunc finem aſſequendum divini verbi prædicatio. Verum quid agimus, quum in frequenti concione ſermonem habemus ad populum? Semen verbi Dei in terram projicimus, ut loquitur divinus Præceptor (a). Pars autem hujus ſeminis ſecus viam cadit, & tranſeuntium pedibus conculcatur, vel ab avibus coeli rapitur; pars ſupra petram, & quum germinare coeperit, radices non figit, ſed areſcit; pars inter ſpinas, & ſimul atque naturam aſſurgit, ab ipſis ſuffocatur; reliqua autem pars decidit in terram bonam, nempe in corda non diabolicis incurſionibus aperta, ac pervia, non dura, atque arida, non terrenis curis, ſollicitudinibus, ac voluptatibus occupata, ſed bene præparata, ac ſubacta, velut in terram humentem, & mollitam, ad Dei verbum ita recipiendum, ac retinendum, ut firmas radices agat, & fructum afferat centeſimum, ſexageſimum, vel ſaltem trigeſimum. Contra verò quum ſacramentalis poenitentiæ mi-

(a) *Luc. VIII.*

ministerium gerimus, non in incertum semen divini verbi spargimus, sed in confitentium corda salutaria monita, & paterna hortamenta inserimus, & quasi plantando defigimus; nec sane isti cogitant, cui aptius nostra hæc verba quadrent, ut sæpe faciunt, qui conciones audiunt, quum probe sciant sibi tantum dicta esse; & sibi videantur Deum ipsum se alloquentem audire, vel certe virum Dei sibi dicentem: *Tu es ille vir* (a).

Accedit quod ad concionem plerumque itur sine peculiari animi præparatione; non ita vero ad Sacramentum Poenitentiæ suscipiendum; nam & illi ipsi, qui omnem peccandi voluntatem ab animo non expulerunt, aliqua tamen oratione spiritum veræ poenitentiæ a Deo implorarunt, aliquod imperfectum, & inchoatum boni desiderium afferunt, fervidisque propterea exhortationibus adduci possunt, ut toto corde ad Deum convertantur, suæque conversionis haud dubia argumenta exhibentes digni evadant, qui sacramentalis absolutionis gratia donentur.

Plures quoque utilitates ex boni Sacerdotis charitate, & solertia percipiunt confitentes: nimirum amoliendis animi morbis, & vitiis apta remedia; adversus diaboli tentationes valida munimenta, ac præsidia; in rebus dubiis certa consilia; in ærumnis solatium; in moeroribus consolationem; in conscientiæ anxietatibus, ac scrupulis securitatem, & tranquillitatem. Id quoque emolumenti oritur ex ipsa confessionis necessitate, ut notat Catechismus Romanus, nempe quod confitendi verecundia delinquendi cupiditati, & licentiæ tanquam frænos injicit,

(a) *II. Reg. XII. 7.*

& improbitatem coercet (a). Facit enim, ut homines caveant, non modo ab externis, & manifestis peccatis, quæ in aliorum oculos incurrunt, verum etiam ab internis, atque occultis, quæ viam sternunt ad quævis scelera, ac flagitia.

Quanta autem consolatione, ac lætitia perfunditur poenitens, qui sacerdotali potestate absolutus dimittitur! Quum enim cor nostrum sit nobis ipsis imperscrutabile, de sua quisque intima poenitentia incertus pendet, dubius, atque anxius, & quamquam sibi videatur sincere, atque ex animo poenitens, haud satis suo acquiescit judicio, sed audita voce Sacerdotis peccata sua legitime condonantis, ob fidem, quæ Sacramenti virtuti habenda est, in fiduciam suæ reconciliationis erigitur, perinde ac si ab ipso Christo Domino sibi dictum esset: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (b). Hinc vero fit, ut hilari animo in via justitiæ alacriter progrediatur, & dicere possit cum Regio Psalte: *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum* (c).

Nec tantum in Christi plebem, sed & in ipsos Sacerdotes ex sacrosancto hoc ministerio insignia quædam, & præclara profluunt emolumenta. Certe sacerdotalis dignitas nos compellit, ut quoniam tanto supra omnem populum evecti sumus intervallo, vitæ quoque sanctimonia, & virtutum omnium exemplis præfulgeamus; eo vel maxime quod si tantisper ab officio deflectimus, omnium oculi in nos convertuntur, quemadmodum & in solem omnes respiciunt, quum deficit, ejusque defectionem, am-

(a) *Cat. Rom. de Sacr. Pœn. p. II. c. v. n. 37.*
(b) *Matth. IX. 2.* (c) *Ps. CXVIII. 32.*

amplitudinem, ac periodum accurate metiuntur. Quid vero, si Sacerdos, qui confessiones fidelium excipit, vitam ageret reprehensione dignam; si illis animi morbis, quorum curationem suscipere audet, vel fortasse etiam gravioribus ipse laboraret, & vitam carnalem duceret, dum videri vult spiritualis vitæ magister? An non publicæ exprobrationi, atque execrationi se se objiceret? An non improborum hominum irrisiones, & ludibria in se provocaret? Ipsa ergo officii, quo fungimur, præcellentia, & sanctitas ad vitam pie, sancteque instituendam nos cogit.

Adde his, quod multa ad id præsidia, atque adjumenta nobis suppeditat; quandoquidem ab otiositate nos avocat, quæ vitiorum omnium mater est, ac magistra; a seculi curis, ac negociis, a sensuum voluptatibus, a mundi oblectamentis nos separat, ac bonis semper operibus intentos detinet, si, uti par est, orationi, ac rerum æternarum meditationi insistamus; si optima de morum doctrina commentaria evolvamus; si libros etiam asceticos perlegamus; neque enim aliter tam multa, quæ in confessionibus fidelium occurrunt, implexa, ac dubia evolvere, ac dirimere possumus, vel in promptu habere salutaria monita, & pie sancteque vivendi præcepta poenitentium animis inserenda.

Quid quod in iis ipsis, qui in medio Babylonis habitant, nempe inter hujus seculi tumultus, & corruptelas versantur, complures ad nos accedunt puræ, atque intemeratæ conscientiæ, qui carnem suam crucifigunt cum vitiis, & concupiscentiis, qui humiles corde sunt inter honores; qui pauperes spiritu inter

vitias, & in omnibus misericordiæ operibus, quam maxime assidui; qui rerum omnium inopiam, dolores, morbos, molestias, injurias sola spe freti æternorum bonorum patientissime ferunt? Hi quidem nos pudore, & verecundia suffundunt, docentque exemplo suo, quales nos esse oporteat, qui ministri Christi sumus, & dispensatores mysteriorum Dei.

Quin etiam ex eorum confessionibus, qui ingenti peccatorum pondere gravati sunt, plura discimus nobis ipsis quam maxime profutura. Discimus enim, quanta sit naturæ nostræ corruptio, atque in malum proclivitas, quam facili, & quam præcipiti lapsu in profundum vitiorum barathrum ruamus; tum etiam quam arduum, & laboriosum opus sit illinc evadere, & superas in auras remeare. Discimus quam immenso intervallo a recto salutis tramite progrediendo recedamus, si ab eo tantisper deflectamus, & quam difficile sit eo redire, unde discessum est. Discimus excelsas quoque cedros Libani flante vehementi tentationis vento corruisse; hinc vero intelligimus, quantopere oporteat, ut vigilemus in orationibus, ut sensus nostros caute custodiamus; ut cupiditates nostras assidua christianæ mortificationis exercitatione coerceamus; ut pravis animi motibus, simul atque excitantur, fortiter obsistamus; ut nobis ipsis diffidentes cum timore, & tremore salutem nostram operemur.

Tum denique illud emolumenti ex fidelium confessionibus percipimus, quod facile intelligimus, quænam vitia in populo nobis credito vigeant, quæ sint eorum caussæ, nempe si a pravis tantum animi cupiditatibus, vel etiam ab aliqua exteriori illecebra, ab aliqua morum cor-

corruptela in populum invecta proficiſcantur. Sic vero dominici gregis conditio agnoſcitur, ac pervideri poteſt, qua potiſſimum ratione ejus incolumitati, ac ſaluti proſpiciendum ſit, quo ſpectat illud Spiritus Sancti monitum: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera* (a).

Porro ſacroſancti hujus myſterii, ex quo tam multa in Eccleſiam univerſam profluunt bona, vobis ſingulis credita eſt diſpenſatio, Venerabiles Sacerdotes, per impoſitionem manuum noſtrarum, & per ea verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt* (b). Huic poteſtati, quæ cum ipſo Sacerdotii Ordine ex Chriſti inſtitutione conjuncta eſt, ideoque *poteſtas ordinis* dicitur, altera accedat oportet, quæ juriſdictionis poteſtas appellari ſolet, & hanc etiam cuique Sacerdoti, qui ſe ad tanti miniſterii opus idoneum probaverit, libentiſſime Epiſcopus impertitur. Quam multi vero ex Sacerdotibus hac poteſtate dignos ſe exhibere negligunt; quam multi etiam poteſtatem quidem ipſam accipiunt, ſed ejus uſum effugiunt, nec adduci poſſunt, ut fidelium confeſſiones excipiant! O lacrymabilem ignaviam! O periculoſum muneris, officiique neglectum!

Apoſtolus Paulus, qui prædicandi Evangelii munus a Chriſto acceperat, teſtatur ſe neceſſitate compellente evangelizare, quandoquidem divinam maledictionem ſibi conſciſceret, ſi Evangelii prædicationem miſſam, ac neglectam faceret. *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi eſt,*

 ſi non

(a) *Prov. XXVII. 23.*
(b) *Pontif. Rom. de ord. Presb.*

si non evangelizavero (a). Idem Apostolus Timotheum monet, ut, quam accepit, sacerdotii gratiam, & potestatem otiosam, & consopitam manere non patiatur, sed eam excitet, adhibeatque in salutem animarum. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* (b). Anne vero putabit Sacerdos impunem se abire posse, si ob desidiam, atque ignaviam traditam sibi potestatem dimittendi peccata otiosam relinquat, nec per eam nitatur mortuas Deo animas ad vitam gratiæ revocare? Cogitate inutilem illum servum, de quo loquitur Dominus apud Matthæum (c). Is creditum sibi a Domino talentum, ut ex eo negotiationem faceret, non in suos usus convertit, non luxu, crapulis, aut libidinibus absumpsit, sed ut tutius illud servaret, & revertenti Domino integrum redderet, in terra alte defossum abdidit, nec conatus est quidpiam lucri ex eo percipere; veruntamen tremendam illam damnationem subiit: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores* (d).

Videte, quæso, quam multi cujusque ætatis, status, & conditionis fideles, non modo in magnis Ecclesiæ celebritatibus, sed singulis quoque festis, imo vero & profestis diebus ad sedes confessionales confluant exomologesim facturi. Quum augeatur in dies christiani populi frequentia ad catecheses, ad evangelicæ doctrinæ explicationem, ad paræneticos sermones, ad pias exercitationes, quæ tam sæpe in parochialibus ecclesiis, aliisque oratoriis instituuntur, auctum quoque iri oportet confitentium

(a) *I. Cor. IX. 16.* (b) *II. Tim. I. 6.*
(c) *Matth. XXV. 24. & seq.* (d) *Ib. v. 30.*

tium numerum; scilicet divini verbi dispensatio viam sternit ad poenitentiam, & opus veræ conversionis, atque emendationis inchoat, quod divina afflante gratia per ministros Sacramenti Poenitentiæ perficitur. Strenui animarum rectores, eorumque vicarii, atque administri, quamquam tam multis pro populo sibi credito distenti sint officiis, & curis, ad multas horas quibusvis Dominicis & festis diebus fidelium confessiones excipiunt, & pro animarum salute laborant usque ad deliquium. Id quoque faciunt plures alii, qui choro addicti sunt psallentium Domino, qui etiam in exponendis scripturarum oraculis, & practicæ Theologiæ præceptis, aut in verbo exhortationis, & doctrinæ assiduam operam ponunt, nec se propterea de laborioso hoc ministerio exemptos putant. Vestrum igitur est, Sacerdotes, qui ad hoc officii munus assumpti estis, quam potestis, opem ferre fratribus vestris laborum pondere oppressis, ac pene exanimatis. *Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, quum fuerit opportunum*, inquit S. Thomas (a). Jam vero ut gratia, qua donati estis, sedulo naviterque utamini, non tam opportunitas postulat, quam necessitas.

Mementote filiorum Gad, & Ruben, qui de suis tantum rebus, & commodis solliciti, dum universus populus trajecturus erat Jordanem ad debellandas gentes, quæ Israelis hæreditatem obtinebant, a Moyse postularunt, ut sibi liceret in regionibus Galaad ubertissimis cum innumeris suis ovibus, ac jumentis manere, suamque in ipsis sedem figere. Iniqua hac petitione vehementer commotus optimus Israe-

 lis

(a) *S.Th. in IV. Sent. dist. XIII. a 1. & 111.*

lis dux, & legislator Moyses ita eos increpavit: *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?* (a). Tum divinam indignationem ipsis denunciavit, & tremenda illa flagella, quibus Patres eorum ob patrata crimina cæsi in deserto perierunt. His autem sermonibus perculsi viri illi promptos se, & paratos exhibuerunt ad perferendos omnes belli labores: ad omnia pericula obeunda, ad pugnandum adversus Israelis hostes in prima acie, donec, ipsis deletis, hæreditatem suam, nempe eorum regiones filii Israel possiderent. *Nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua ...... Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam* (b); cujus quidem promissi fidem plenissime eos absolvisse sacræ literæ testantur (c). Minaces illæ voces, quibus sanctus legislator illorum virorum ignaviam exprobravit, vos quoque ad pugnandum excitent, Sacerdotes Domini, ad pugnandum, inquam, *non adversus carnem, & sanguinem*, ut loquitur Apostolus (d), *sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*, ut ex eorum potestate eripiatis animas, quæ indignæ servitutis jugo premuntur, easque perducatis ad æternam hæreditatem.

Moveant quoque animos vestros tot ruricolæ, qui singulis diebus festis e locis valde dissitis ad ecclesiam convenientes tam sæpe abeunt tristes, propterea quod deficiente sacerdotum copia non potuerint peccatorum suorum exomologesim facere. Ad oram probaticæ pisci-

(a) *Num. XXXII. 6.* (b) *Ib. 17. 18.*
(c) *Josue XXII. 2. 3.* (d) *Eph. VI. 12.*

ſcinæ *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum* (a); in his languidus ille inveterata laborans infirmitate, qui interrogatus a Domino, an vellet ſanus fieri, reſpondit: *hominem non habeo, ut quum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam* (b); ideſt nihil magis exopto, quam ſanitatem: ſed neminem habeo, qui meas vices doleat, neminem, qui mihi opem ferat, & mergat me in ſtagnum, quum in deſcenſu Angeli commovetur aqua. O quam multi inter nos querulas has voces uſurpare poſſunt: *Hominem non habeo*! quandoquidem quum ſpiritualibus morbis multo gravioribus, & forte etiam inveteratis contabeſcentes ad ſalutarem piſcinam veniunt, nempe ad Sacramentum Poenitentiæ, neminem inveniunt, a quo juventur, neminem, qui animarum ſuarum curationem miſericorditer ſuſcipiat. Quam multi inſuper pietati dediti ſpiritualem quærunt ducem, a quo in viam ſpiritualis vitæ tuto dirigantur, ne veluti errantes oves in incertum vagentur non invenientes paſcua! Et iſti etiam lacrymabiles illas voces congeminant: *hominem non habeo, hominem non habeo*!

Agite ergo, Chriſti miniſtri, adeſte opem veſtram implorantibus; & miſericorditer ipſis ſubvenite. Ne putetis hoc pietatis officium a vobis prætermitti poſſe, propterea quod nullius Eccleſiæ ſpirituale regimen geritis, nullis eccleſiaſticis bonis donati eſtis; nec dicatis cum otioſis illis operariis in foro ſtantibus: *nemo nos conduxit* (c). Conduxit vos Dominus Jeſus Chriſtus; quando vero conduxit? Quando ſempiterni ſui Sacerdotii miniſtros vos fecit. Qua au-

(a) *Jo. V. 3.* (b) *Ib. 7.* (c) *Matth. XX. 7.*

autem mercede vos conduxit? Ea ſane, quæ nulla amplior excogitari poteſt, nempe illa ipſa mercede, quam Abrahæ pollicitus eſt, quum dixit: *Ego .... merces tua magna nimis* (a).

Non ignoramus profecto complures eſſe Sacerdotes, pios alioqui, & ſufficienti doctrina, prudentiaque præditos, qui ab hujus miniſterii opere arceantur, non ignavia, & ſocordia, ſed metu. Verentur enim, ne hujus officii partes minus accurate, ac fideliter impleant, dumque aliorum vulnera curare volunt, mortiferum aliquod vulnus ſibi ipſis inferant. Utilis ſane, ac laudabilis eſt hujuſmodi timor, dum facit, ut noſtræ infirmitatis conſcii divinam opem enixe imploremus, tum vero etiam ſacræ ethices præcepta aſſidua optimorum librorum lectione, & crebris cum viris doctis conſultationibus recolamus. Anne vero probari poteſt timor, qui nos ab officio removet? Quid fingi poteſt magis abſonum, atque abſurdum, quam ut quis injunctum ſibi officii munus deſerat, ne aliquando erret in ipſo munere obeundo, & graviorem, ac certam ſubire velit culpam, ut levioris, atque incertæ noxæ periculum declinet? Eja quam poſſumus diligentiam in tanto opere adhibeamus, & fiduciam noſtram conſtituamus in Deo, qui mentes noſtras ſapientiæ ſuæ lumine colluſtrabit. *Siquis autem veſtrum* (inquit Jacobus Apoſtolus) *indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; poſtulet autem in fide nihil hæſitans* (b). Si autem, quod noſtræ infirmitatis eſt, in aliquo deficimus, humili corde ab eo petamus veniam, qui *cognovit figmentum noſtrum* (c), & lapſus ipſi nos doceant ma-

(a) *Gen. XV.* 1. (b) *Jac. I.* 5. 6. (c) *Pſ. CII.* 14.

magis caute incedere, & divinæ gratiæ auxilia fervidiori prece obtestari.

Alio quoque metu ab hujus ministerii opere plures absterrentur; timent scilicet, ne exceptæ foeminarum confessiones turpes rerum imagines in mente excitent; timent, ne pravos affectus ex corde eliciant; timent, ne spiritualis cum mulieribus, aut puellis necessitudo in carnalem sensim degeneret, quem quidem in scopulum illisi summi quoque viri, teste Augustino, miserrime perierunt. Sed primum quidem hæc pericula facile vitare possunt marium tantummodò confessiones audiendo in iis sedibus, ad quas non confluunt foeminæ, quas quidem ut plurimum vacuas esse multi queruntur. Deinde quum ad audiendas mulierum confessiones accesserint, si non temere id faciant, sed officii caussa; si rectum sibi finem constituant, nempe divinæ gloriæ, & animarum salutis provehendæ; si Dei opem enixe implorent; si caute vitent inutiles sermones, & ineptas interrogationes, omnemque impudentem, & obscoenam descriptionem prohibeant, non erit certe, cur offendicula, aut miserandos lapsus magnopere pertimescant. Adest nobis Deus, & per Angelos suos nos custodit, & regit, quandiu in viis nostris ambulamus: in viis, inquit Augustinus, non in præcipitiis; in viis nostris, non in viis alienis; scriptum est enim: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (a). Anne vero deserendos nos esse putabimus, dum ambulamus in viis nostris; nec tantum in viis nostris, verum etiam in viis Domini, nempe in

(a) *Ps. XC. 11. 12.*

in ministeriis, Deo jubente, susceptis? Petrus Apostolus, jubente Domino, e navi prosiliit, irato mari se se commisit, & super commotos fluctus impavidus ambulavit; cumque validiori turbine perterritus coepisset mergi, ad Dominum clamans vivida illa prece: *Domine, salvum me fac* (a), illico ejus dextera comprehensus, atque erectus periculum evasit. Ita & nos, siquando in administratione sacramentalis poenitentiæ vehementi aliquo tentationis vento corripiamur, ad Deum cito confugiamus, qui validissimo gratiæ suæ auxilio quasi extenta dextera sua nos comprehendet, atque eriget, ne demergamur.

Pulso igitur inani timore, viriliter agite, Venerabiles Sacerdotes, & strenuam huic ministerio operam date, ex quo tam multa in christianum populum, atque in vosmetipsos emolumenta proficiscuntur. Charitas Christi urgeat vos; in promovenda fratrum vestrorum salute estote adjutores Dei, & amplissima erit merces operi vestro. Dum in optimarum disciplinarum studium incumbitis; dum humanas, divinasque literas alios docetis; dum christianæ religionis misteria, ac præcepta explicatis populo; dum in concionibus Dei verbum annunciatis, periculum est, ne hominum laudes, & plausus aucupantes spe æternæ mercedis excidatis, atque ex iis sitis, de quibus dicit Dominus: *receperunt mercedem suam* (b), quoniam opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, eorumque existimationem sibi concilient. Erunt fortasse, qui terrenæ retributionis gratia sacrosanctum Missæ sacrificium offerant Deo, vel divinas laudes in choro conci-

(a) *Matth. XIV. 30.* (b) *Matth. VI. 2. 5.*

cinant, vel alias ſacerdotales functiones obeant, & hi quoque *receperunt mercedem ſuam*.

Sed nil tale timendum eſt in miniſterio ſacramentalis Poenitentiæ; quod enim in confeſſionali ſede pro ſalute animarum agimus, in conſpectu ſolius Dei agimus, non in conſpectu hominum. Nullam ab hominibus laudem expectamus, nullam mercedem, niſi forte dicteria, & vellicationes, quibus a filiis hujus ſeculi carpi ſolent Sacerdotes, qui divina myſteria non temere effundunt, ſed fideliter diſpenſant. Deus igitur, qui videt in abſcondito, reddet nobis, ideoque illud Apoſtoli uſurpare poſſumus: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem* (a). Dominus noſter Jeſus Chriſtus illis ſe devinctum, atque obſtrictum profitebitur, qui eſurientes aluerint, aliiſque miſericordiæ officiis conſuluerint incolumitati corporum moriturorum, eoſque participes faciet ſempiterni regni, quod ipſis paratum eſt ab origine mundi. Quam ampla igitur mercede, & quanta in coelis gloria vos cumulabit, Venerabiles Sacerdotes, ſi opera induſtriaque veſtra immortales animas pretio ſui ſanguinis redemptas a perditionis via ad chriſtianæ vitæ ſemitam perduxeritis?

Quid quod ii omnes, qui a funeſtiſſima peccati morte ad vitam gratiæ per miniſterium noſtrum revocati fuerint, fervidiſſimas preces viciſſim fundent pro ſalute animarum noſtrarum. Quum Jonathas Saulis Regis filius poſt res in bello fortiter geſtas, poſt debellatos Iſraelis hoſtes, ob violatum paternum edictum morte plectendus eſſet, conclamavit univerſus po-

(a) *II. Tim. I. 12.*

populus: *Ergo ne Jonathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? ... Vivit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite ejus in terram* (a). Ita plane quotquot, nobis adjuvantibus, ſalvi facti fuerint, ſtabunt pro nobis in die mala, & clamabunt ad Dominum, ut peccatorum noſtrorum veniam nobis largiatur, & vitæ æternæ gaudia retribuat per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

(a) *Reg. I. C. XIV. 45.*

FINIS

30





